APHORISMI
DE
Puritate, Elegantia, Copia Latini Sermonis;
Re Poetica; Rhetorica Sacra, & Profana;
Hiſtoria Diſcenda, & Scribenda;
Vera, Variaque Eruditione
Comparanda.

E X

*Principibus in hac Facultatum ſerie
Scriptoribus,*

Ad uſum Eorum,
Qui Manſuetioribus, & præſertim
Sacris Muſis addicti ſunt,

A

PETRO PAULO CAPELLO

In Metropolitana Aquilejenſi Presbytero, Cathedralis Eccleſiæ Petenenſis Canonico, SS. Theologiæ Doctore

CONGESTI.

VENETIIS. CIϽIϽCCXXX.

Apud Bernardum Corradium.

Via Mercatoria, ſub Signo
Fortunæ Triumphantis.

SUPERIORUM PERMISSU.

Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo

Domino Domino

GEORGIO FRANCISCO

XAVERIO de MAROTTI,

DEI, & Apoſtolicæ Sedis Gratia

EPISCOPO PETENENSI,

Sacræ Cæſareæ, & Catholicæ Majeſtatis

Conſiliario,

Præpoſito Rudolphſvvertenſi,

Per Carnioliam Inferiorem, &

Marchiam Sclavonicam

Archidiacono,

Inclytæ Provinciæ Carnioliæ

DEPUTATO,

&c. &c. &c.

Domino Domino

Gratioſiſſimo

FELICITATEM.

Illuſtriſſime Domine,
Reverendiſſime Præſul.

NOn probo uſquequaque, quod quidam exiſtimant, Ampliſſimis ſeu in Sacra, ſeu in Profana Republica Heroibus exiguos ſeu mole, ſeu materia libellos non offerendos; perinde quaſi non Liber a Mæcenate, ſed Mæcenas a Libro ſplendorem quæreret, & acciperet. Minus, quod eſt nonnullis in more poſitum: Opera ſua non, tamquam grati animi Anathemata, Divorum illorum Aris appendere, a quibus beneficia acceperint, officiis hac ratione pro modulo rependenda; ſed a quibus expectent avide beneficia. Inde accidit; quod, ut primum conſtitui opuſculum in lucem iſtud emittere,

menti non aliud, quo inſigniretur, nomen ante ſuccurrerit, quam Tuum, Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Domine, Mæcenas Gratioſiſſime; utpote a quo ſplendoris plurimum, ac æſtimationis eſſet utique accepturum; quemadmodum Auctor a Munificentia Tua jampridem auctum fuiſſe gloriatur nomen ſuum. Equidem ita futurum exiſtimavi, ut, qui in libelli titulum intuitus oculos ad Nuncupatoriam Epiſtolam ſubinde transferret, laudaret continuo conſilium meum; animoque præterea reputaret, non alteri Aphoriſmos de Humaniorum Literarum, & Scientiarum omnium Cyclo inſcribi omnino debuiſſe, quam Tibi; qui non Mæcenas dumtaxat, ſed & operis Judex omni eſſes exceptione major futurus. In laudes modo Tuas effundi, ut vetus fert conſuetudo, deberem; at quem Summi Eccleſiæ Pontifices, Auguſtiſſimi Orbis Cæſares, collatis honoribus ampliſſimis, celebrarunt; quem Diœceſis univerſa Tua Apoſtolicum Præſulem; Inclyta Carniolia Provincia Patriæ Patrem Sapientiſſimum, & amantiſſimum; omnes Antiſtitem, in quo Doctrina cum Pietate, Pietas cum Prudentia, Prudentia cum ſumma in omnes Comitate, cum iſtis denique dotibus univerſis flagrantiſſimum Divinæ gloriæ, & Chriſti ovium ſalutis promovendæ ſtudium de primis certant, quo ego

illu-

illuſtriori encomio exornare poſſim, quam illo, quo ut Eccleſiæ Prælatus quilibet ſeſe dignum exhibeat, Maximus Eccleſiæ Doctor Hieronymus (in illud Apoſtoli ep. 1. ad Timoth. c. 3. ℣. 1. Fidelis Sermo: ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, *ſcribens.) etiam atque etiam commendat aureis illis verbis*: Tanta debet eſſe Converſatio, & Eruditio Pontificis, ut omnes motus, & egreſſus, & univerſa ejus opera notabilia ſint: Veritatem mente concipiat, & eam toto habitu reſonet, & ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, Doctrina ſit populorum. *Quibus, tamquam coloribus, quum animi, morum, Tuæque Prælaturæ imaginem ad vivum expreſſam nemo non videat, in eam ego defixus ferventiſſimis precibus DEUM Ter Opt. Max. obſecro atque obteſtor, ut Eccleſiæ, Eccleſiaſticorum, oviculorum tuarum, omnium denique commodo valentem te diu, & incolumem ſervet; me autem*

Venetiis, Kal. Decembribus, Anno CIƆIƆCCXXIX.

Illuſtriſſimæ, ac Reverendiſſimæ Dominationi Tuæ

Devotum Clientem, & Servum,

Petrus Paulus Capello.

PRÆFATIO

Ad Lectorem.

INter principes gratias, quas DEO Optimo Maximo referre in acceptis debeo, illa quoque eſt non poſtrema; quod puer Humaniorum Studiorum Duces, ac Moderatores habuerim Viros omni, at Humaniore cumprimis, Literatura præcellentes, & qui ſpartam hanc eruditiſſimis operibus illuſtrarunt, Ægidius Dornigg, & Franciſcus VVagner, Societatis JESU Presbyteri, ſuorum noviſſime, qui Literas Humaniores, obiter, ut fit, & extremis, publico in Ludo, digitis nuper attactas, privatos inter Collegiorum parietes, a Tirocinii biennio, de more repetunt, complures annos in Auſtriaca Provincia Magiſtri; quos grati animi cauſſa nominatos hic volo, quum inde rivulos iſtos exhauſerim, quos communi nunc, Eccleſiaſticæ præſertim Juventutis, bono in unum fontem corrivavi.

Paſſim quidem ſub Adoleſcentum oculos volitant Grammaticorum, Poetarum, Rhetorum Præcepta, Florilegia, Theſauri, Regiæ, Phraſeologiæ, Gazophilacia, Mellificia tam denſis agminibus, ut limpidiſſimum Grammaticæ, Poeticæ, Oratoriæ Artis, & Latinitatis lumen ere-

ptu-

pturus potius, quam aucturus videri poſſet is, quem animus inceſſeret, novis præceptionum voluminibus, vel etiam libellis, Magiſtrorum, ac Diſcipulorum pluteos onerandi. Ego nihilominus, ut rem aperte, & ingenue fatear, placui mihi mirifice in hac Methodo mea, quam non cogitatione, & conjectura, ſed uſu ipſo iis accommodatiſſimam animadverti; qui, quæ diutina Præceptorum & auditione, & lectitatione hauſerint, una veluti ſorbitiuncula e ſcholis emancipati cuperent reguſtare.

Certe, niſi me fallunt omnia, nemo ad hunc diem, Præceptis Grammaticis, Poeticis, Rhetoricis omnibus in pauciſſimos, breviſſimoſque Aphoriſmos compactis, hoc ad Parnaſſum, Roſtra, Sacros Suggeſtus, imo & ad Encyclopædiæ Regiam tot veluti Hermis diſtinctum iter adoleſcentibus præivit; quod Hippocrates Medicinæ, Raymundus Montecucolus Martis alumnis, alii aliis, cum publicæ utilitatis ſpe tanta, præſtitere: ut adeo vel hinc a me quoque pretium operæ aliquod, & quam illi forſitan haud paullo certius referendum plane confidam.

Si cui autem primo in aditu, ac veſtibulo ſeriem Operis omnem cognoſcere libeat, ex Indice ad calcem poſito luculenter omnia patebunt.

Illud poſtremum te moneo, Lector Benevo-

nevole, opus iſtoc longe aliud, quam cogitatione informatam, in lucem exire. Chronologiæ, ac Geographiæ Synopſis aliqua, memoriæ juvandæ, Aphoriſmis erat loco ſuo inneƈtenda; ſed vacui, utiliſque temporis nihil ferme reſiduum fecerunt hactenus curæ aſſiduæ, graviſſimæ, Eccleſiaſticæ, Literariæ, homini nempe animabus, ingeniiſque excolendis in omni vita devoto. Auctorum autem pro quavis Facultate ſyllabum, tum & caſtigatiſſimum Orthographiæ Paradigma jam paraveram, ad opuſculi finem commode trajicienda; ſed a propoſito retraxit me Amicus meus, Vir & morum candore, & literarum peritia ornatiſſimus, in memoriam revocatis Mabillonii, Fabricii, Langleti, Haymii copioſiſſimis, iiſdemque lectiſſimis Bibliothecis, ad quas potius, ne actum agerem, eſſent Lectores remittendi. De Orthographia vero ſic cenſuit: accuratius Paradigma propinari non poſſe Lectoribus, ac ſit Opuſculum ipſum, tanta religione ab omni nœvo expurgatum; &, ut etiam ſeu Typographorum contumaci neglectu, ſeu quod ambiguæ Orthographiæ non omnia vocabula fortaſſis illud contineat, haud abſolutiſſimum foret, Cellarium denique ad manus habeant, utpote a quo non admodum ego diſſentiam.

Acceſſerunt porro Amicorum hortatus,

Libel-

Libelli editionem ſollicitantes; tantoque me promptiorem habuerunt, quod ejuſmodi ſum, qui aliorum commodis, quam gloriolæ neſcio cui litare malim: futurum autem primo quoque tempore, ut, ſi Superi faverint, hæc a me cumulate præſtentur, ſancte tibi promitto. Interim bene vale, beate vive.

NOI REFORMATORI
dello Studio di Padoa.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approbazione del P. F. Tommaſo Maria Gennari Inq. nel Libro intitolato: *Aphoriſmi de Puritate, &c. a Petro Paulo Capello, &c. Congeſti*. Non v'eſſer cos'alcuna contro la S. Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi; concedemo licenza a *Bernardo Corradi*, *Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padoa.

Dat. 21. Nov. 1729.

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Ref.
(
(Pietro Grimani Kav. Ref.

Agoſtino Gadaldini Segr.

PRO-

PROLEGOMENON.

SCientiæ Cognitrices omnes Theologia, & Philoſophia continentur. Theologia in Scholaſticam, ſeu vulgo Speculativam, Polemicam, Moralem, Poſitivam, Myſticam, Aſceticam, Legalem dividitur. Philoſophia alia Rationalis eſt, alia Naturalis, ad quam Mathematica, & Medica; Moralis denique, ad quam Legum Doctrina revocatur. Demptis Medica, & Juridica, (quarum nihilominus ſummam tenere eruditi hominis eſt.) hæ Diſciplinæ omnes Eccleſiaſticis præſertim perneceſſariæ ſcitu ſunt; his Divinarum, humanarumque rerum notitia omnis abſolvitur. Has tantas opes Sapientiæ omnis Principium DEUS non eo ſolum nobis contulit, ut, hac tot rerum pulcherrima contemplatione, vel Auctoris amore ſuccenderemur, vel animum, ſciendique libidinem infinitam paſceremus; ſed ut pauculi, quos tanto bono dignatur, has animorum ſuorum divitias in rudium, ac illiteratorum hominum vulgus diſpenſent; operam ſuam ad tuendam utramque Rempublicam, procurandam animorum, corporumque ſalutem conferant; Divinæ denique ipſius Providentiæ in regundis hominum rebus pro inſtrumentis deſerviant. Eo fine

Scien-

Scientiarum genus aliud inventum eſt ; quas *Traditivas* cum Baccono Verulamio appellemus ; nempe quarum adminiculo divinas illas opes , de manu in manum traditas , particulatim in Cives diſpergi fas ſit , & Philoſophia utraque , velut in rivulos deducta , ad plebis uſum aliquem , & captum in omnem Rempublicam devehatur . Harum locum principem Dialectica , ſeu Diſſerendi Ars obtinet , nobilis Philoſophiæ portio ; Oratoria deinceps Sacra æque ac Profana ; Hiſtorica ; Poetica ; & , quæ omnibus ſubjicitur , ſeu puerilis , ſeu philoſophica Grammatica . Hæ , quantumvis dignitate Cognitricibus illis neutiquam comparandæ , utpote quæ iis & ancillantur , & vim ſuam omnem debent , nobiles tamen ipſæ ſunt , & uſus ampliſſimi ; iis præſertim , qui Eccleſiæ , ac Reipublicæ naſcuntur , & ſeu Scholas , ſeu Seminaria vel frequentant , vel moderantur , ſummo ſtudio complectendæ . Colligunt illæ , collectaque condunt ; promunt iſtæ , atque utiliter dividunt . Et quia Methodi Ratio poſtulat , ut impeditioribus Diſciplinis faciliores præmittantur , & ut amœnioribus Adoleſcentum ingenia pedetentim ad ſeveriora præparentur , Poetice primum , deinde Oratoria utraque , Hiſtorica demum diſciplina , & Encyclopædia ; La-

tina

tina autem Elocutio præprimis tractanda venit, uti quæ reliquis facilior memoria potius, quam ingenio, perficitur; tædiis inſuper obſepta eſt plurimis, quæ conſulto, in ipſo ſtudiorum limine, primo æſtu devoranda objiciuntur.

LIBER PRIMUS.

De Puritate, Elegantia, Copia Latini Sermonis.

CAPUT I.

De Latinitate Univerſim.

APHORISMUS I.

ETſi in quavis, horridiſſima licet, ac barbara lingua, eloquenti liceat eſſe, ac diſerto; fuit hoc tamen felix Urbis Romanæ fatum, ut, quamvis imperio dudum dejecta, dominatricem tamen linguam ſuam, toto late orbe ſparſam, retineat adhucdum; quin gentium omnium, queis olim imperaverat, commune vinculum effecerit; Scientiarum, ac ſacrarum Cerimoniarum propria ſit; & veluti vernacula floreat in Eloquentiæ Scholis; ceterarum principatum linguarum ſine

rivali obtineat. De hujus Ortu, & Occaſu, vicibuſque diverſis Patris Nieſs Jeſuitæ Lucubratiuncula, Promulſidis loco, non inutiliter legetur.

II.

Dici vix poteſt, quam ſibi commendatum hoc germanæ Latinitatis Studium habere debeat is, qui humaniori literaturæ animum ſpeciatim addixerit; fœdum namque eſt in primis, in hac lingua infantes illos eſſe, quorum fidei cum Scientiis reliquis Romanæ nitor linguæ depoſitus eſt: compertum eſt præterea, qui publicam in lucem eduntur, libros, etſi admirabili ingenio, doctrina exquiſita conſcriptos, neque ævum ferre, neque famam conſequi; ſi verborum ſquallore horreant; niſi ſententiarum dignitatem lumen quoddam caſtigatæ elocutionis illuſtret.

III.

At enim Eccleſiaſtica in vivendi ratione difficultates objiciunt ſeſe non paucæ, quibus iſtoc ſtudium opinione gravius evadat. 1. Etenim abeſſe vix poteſt, quin perpetua illa Divinorum Librorum lectio, illa Sanctorum Patrum, & Aſcetarum voluratio colorem aliquem ſuum, & veſtigia legentium animis relinquant: nempe illi, quid loquantur, penſi habent; quam ornate, minime anxii ſententiam auream luteis fere verbis com-

ple-

plectuntur. 2. Multum item fœculenti Recentiorum quorumdam ſcripta vehunt, apparatu Poetico, ampullis inaniſſimis vim omnem rigidæ Latinitatis elidentium. 3. Nec parum ſordium adſpergit Idioma Scholaſticum, quod multis vitæ parte non exigua loquendum eſt. 4. Ipſius linguæ ſterilitas, per quam vetita in primis Onomatopœja, ſententiæ permultæ nonniſi multo circuitu efferri queunt; etſi Cicero Græca fertiliorem multis locis prædicet. 5. Vernaculæ linguæ Idiotiſmi importuniſſime ſe oggerunt undique, neque, niſi contento, ac diutino ſtudio, omnino exuuntur. 6. Puerilis Grammaticarum Scholarum Inſtitutio inutilibus ſæpe tricis puerorum ingenia impedit potius, quam illuſtret: apud Belgas, Gallos, Italoſque, quia docendi ratione utuntur haud paullo commodiore, latine ſcribendi gloria reſediſſe videtur.

IV.

Latinitatis igitur Studioſo danda eſt univerſim opera, ut ſcopulos hos aut evitet plane, aut minima offenſione enaviget: in Sacris Libris ſententiam ſpectet, verba inſuper habeat; ab Recentiorum inquinatis Scriptis, ut a contagio, abhorreat: ne Scholaſtico Idiomatis uſu obliteretur, aut obfuſcetur Latinitatis candor, probum Auctorem aliquem ſemper ut ad manum habeat, conſulo; ante o-

mnia Idiotiſmorum catervatim irruentium turbam, multa exercitationis aſſiduitate, ſibi debellandam exiſtimet.

CAPUT II.

De Puritate Latinæ Elocutionis.

APHORISMUS V.

TRibus admodum proprietatibus Latina omnis Elocutio perficitur: *Puritate*, *Elegantia*, *Copia*: alia porro eſt *Verborum* Puritas, Elegantia, Copia; alia *Sententiarum*; de ſingulis dicendum eſt. Singulorum Verborum Puritas, virtus Latinitatis infima, cavet, ne quod verbum aut novitium, aut obſoletum, aut barbarum, aut in alienam ſignificationem detortum adſumatur: fuere qui in congerendis, repurgandiſque barbaris vocibus toti eſſent, & egregie ſibi latini viderentur, ſi verbula omnia ad Nizolii, aut Paræi rigorem examinarent; atqui e puriſſimis, maximeque propriis verbis pronum eſt, ut ſyntaxis fœda, ſententia inquinatiſſima exiſtat. Exemplum habes in hac, quam VVagnerus in Phraſeologiam ſuam intulit, ſententia: *Multæ oves voluntariæ in unum eunt ovile*. verba hic ſingula latiniſſima ſunt, ſed ſententia fœdiſſimam barbariem loquitur.

VI.

Hanc Puritatem aſſequendi ea eſt ratio: Tiro verba primum omnia & ſuſpecta habeat, & in dubitationem revocet; ad has vero ſuſpiciones movendas valent Leges a Balbino, & Cellario, aliiſque congeſtæ, ac latæ, quæ item ad manum habendæ ſunt: neque hic, utpote in re non maximi negotii, ſuperſtitioſius eſt immorandum: dies, uſus, lectio, obſervatio facient, ut facile genuina diſcernas ab adulterinis. Interim undeviginti obſervationes hic ſubjeciſſe non abs re fuerit; quas ab Ægidio Dorniggio Jeſuita, Magiſtro meo, in calamum mihi dictatas inter ſchediaſmata mea forte, dum hæc ſcriberem, reperi.

1. Barbarum eſt Græcam vocem cum Latina conjungere: hinc male dicitur *Protoparens*, *Archidux*, *Monoculus*, *&c.*

2. Barbare plerumque junguntur plures præpoſitiones, & adverbia; v. g. *adimpleo*, *recommendo*, *abrenuncio*, *prædeceſſor*, *diſcooperio*, *coadjutor*, *&c.*

3. Subſtantiva in *ia* penultima longa barbariem olent; qualia ſunt *Sutoria*, *Piſtoria*, *Sartoria*, *&c.*

4. Subſtantiva item in *iſmus*, a Græco originem non trahentia; v. g. *Germaniſmus*, *Chriſtianiſmus*, *&c.* *Solœciſmus*, *Catechiſmus*, *Helleniſmus*, *Idiotiſmus*, *Neoteriſmus* Græca ſunt, ideo bona.

5. Eliminanda ſunt feminina in *iſſa* non Græca; uti *Judiciſſa*, *Prioriſſa*, *Comitiſſa*, *Principiſſa*.

6. Tolerari non debent maſculina nomina in *iſta*, ut *Parviſta*, *Principiſta*, *Humaniſta*. Græca vero, v. g. *Grammatiſta*, *Syntaxiſta*, bona ſunt.

7. Verba Latina in *iſco*, & *izo* barbara ſunt, quam quæ maxime; ut *Patrizo*, *Sutoriſco*. *Evangelizo*, *Prophetizo* valent, quia Græca.

8. Non licet Latinis diminutiva more Græcorum efformare e vocibus latinis, v. g. *Oratoridion*; uti nec contra e Græcis more Latinorum, ut *Theatreolum*, *Muſæolum*, *&c*.

9. Barbara eſt compoſitio ex duabus vocibus latinis more Græcorum facta, ut *parvocorporus*, *&c*.

10. Ni auctoritate excuſentur, barbara quoque ſunt ſubſtantiva in *ietas*, & *eitas*; ut *idaneitas*, *nimietas*. item in *itas*, ut *garrulitas*. item nonnulla in *antia*, & *entia*, e participiis in *ans*, & *ens* efformata, ut *feſtinantia*, *carentia*, *&c*.

11. Subſtantiva in *ura*, a ſupinis derivata, modo ne Græca ſint, locum apud Latinos habere non debent; v. g. *confectura*, *clauſura*, *tortura*, *&c*. *Literatura* bonum eſt, quia apud probos Auctores reperitur: huc ſpectant etiam ſubſtantiva

tiva in *mentum*; quare non dicet Latinus *optamentum*, *præparamentum*, *honeſtamentum*.

12. Cum delectu adhibeantur ſubſtantiva in *atus*, *etus*, *itus*, ex adjectivis derivata; ut *tuſſitus*, *&c.* aliqua tamen, ut *binnitus*, *&c.* Auctoribus uſitata ſunt.

13. Subſtantiva in *ale*, *orium*, *ivum*, ut *finale*, *calefactorium*, *motivum*, e Latio in exilium releganda ſunt: male quoque formantur adjectiva in *alis*, e vocibus Græcanicis originem trahentia; hinc non dices *Grammaticalis*, *Synodalis*, *Patriarchalis*; ſed *Grammaticus*, *Synodicus*, *Patriarchicus*.

14. Subſtantiva ex puris adjectivis, in *arius* deſinentia, barbariem omnino ſapiunt; qualia ſunt *Commiſſarius*, *Secretarius*, *Confeſſarius*: quæ autem pura ſubſtantiva ſunt, dicuntur; v. g. *Falcarius*, *Notarius*, *&c.* Græca derivata in *arius* ſunt ſemibarbara; v. g. *Bibliothecarius*, *Apothecarius*, *&c.*

15. Adverbiis in *iter* ſine Auctore utendum non eſt; v. g. *flexanimiter*, *cordialiter*. item in *inter*, & *enter* non oriunda e participiis, neque e nominibus in *ans*, *ens* deducta; v. g. *ſomnolenter*, *&c. Violenter* habent Auctores. *recenter* quoque ſuſpectum eſt, licet a nomine deductum.

16. Solœciſmis adnumerantur Compa-

rativi, & Superlativi e participiis in *dus*, v. g. *colendior*, *colendiſſimus*, *reverendiſſimus*, *obſervandiſſimus*, *&c.* contra *jucundior*, *jucundiſſimus*; *facundior*, *facundiſſimus* recte dicuntur, quia non oriuntur e participiis.

17. Adjectiva in *ivus*, ut *locutivus*, *calefactivus*; item in *bundus*, ut *amabundus*; in *ficus* ex facio, ut *ſalvificus*; in *parus* ex pario, ut *tardiparus*; in *genus* ex gigno, ut *piſcigenus*; in *bilis*, ut *loquibilis*, *viſibilis*; in *iſticus* non Græca, ut *humaniſticus*; in *oſus*, ut *pompoſus*, *præſumptuoſus*; (*faſtuoſus*, *lutoſus*, *mendoſus* apud probos Auctores leguntur.) in *alis*, ut *punctualis*; in *aris*, ut *monetaris*, ad culinam ſunt releganda.

18. Rejicienda ſunt ſubſtantiva aliqua ſine Auctore per analogiam facta, & in *udo* deſinentia; ut *ingratitudo*, *promptitudo*, *&c.*

19. Non eſſe a Græcis emendicanda vocabula, dum æque elegantia ad rem illam efferendam apud Latinos veniuntur; ſic eccur pro *deſiderio orexis* dicas, aut pro *obſcurare ecclipſare*?

VII.

Illud tamen generatim habe: pro impuris habenda ſeu verba, ſeu loquendi genera, quæ Phraſes vocitamus, 1. Quæ adverſantur iis, quæ recepta ſunt, 2. Quæ Grammaticæ regulis, 3. Quæ conſue-

ſuetudini, vel Idiomati Romanorum repugnant. Primi generis Neoteriſmi; ſecundi Solœciſmi; tertii Idiotiſmi appellantur: recepta vero dicuntur illa, quæ aurei ævi Scriptoribus in uſu fuere; cœpit autem hæc ætas, uti conſtat, Bello Punico Secundo, tenuitque ad Auguſti ultima tempora; ſucceſſit argentea uſque ad Veſpaſianum; inde ænea ad Hadrianum; ferrea ad Theodoſium Magnum; lignea ad Juſtinianum; lutea ad Barbarorum, & Gothorum irruptionem: alii aliter, ut in re arbitraria, ſtatuunt.

VIII.

Ex aureæ ætatis Scriptoribus ut venuſtiſſimi, ita longe puriſſimi ſunt Plautus, & Terentius; Plautus quidem adeo latinus, ut Decima Muſa, & Latina Syren, & ejus ore locuturæ Muſæ dicerentur, ſi latine loqui libuiſſet: Cicero ipſe, & latinitatis Principes, & quotquot hac Laude floruerunt, illi ſe plurimum debere teſtantur: Varro, Romanorum doctiſſimus, de Plautinis quæſtionibus volumen integrum conſcripſit; primi illi Latinitatis Inſtauratores: Eraſmus, Agricola, Politianus, Manutius hujus apices prope omnes memoria tenuere; eſtque illud Camerarii longe certiſſimum: *De his* (Plauto nempe, & Terentio.) *petenda eſt forma latinitatis, & ſternendum quaſi ſolum, ſuper quo oratio apte conſtructa*

colligetur. Quod minus latini ſumus; forſan & inde eſt, quia, reperto ad hanc diem nemine, qui repurgatos ab obſcœnitate ad Juventutis uſum accommodarent, inſigni ſubſidio carendum nobis fuit; itaque & hoc nomine de Republica literaria optime meritus eſt Pater Juvencius Jeſuita, quod hanc ſibi operam deſumpſerit: quod ſi nec ille ad manum ſit, ſaltem *Moſtellaria*, *Menechmi*, *Captivorum* legendæ, relegendæ, conterendæ ſunt.

IX.

Jacto hoc fundamento, diurna, nocturnaque manu verſandus eſt Cicero, ita diſertus, ut vel ævo ſuo ſuis civibus Eloquentiæ Prodigium haberetur; ut ætates omnes, & quidquid fuit doctorum, hunc Principem, hunc inimitabilem, hunc Eloquentiæ Parentem, & Apicem demirarentur, & prædicarent: qui opera ejus omnia, qua decet, ratione pervolverit, ſtipes ſit, ni colorem inde, ac ſpiritum trahat; nec facundus modo, ſed & eruditus evadat.

X.

Præ ceteris legendæ ſunt Epiſtolæ, terendæque eo uſque, dum ſapiant, dum familiares tibi reddideris: eſt in iis tantus candor, lepos, elegantia, acumen, prudentia, ut nuſquam orationis divitias ſuas, & quantus, quantæque ſapientiæ

vir

vir eſſet, plenius exeruerit Cicero. Si temporum illorum Hiſtoria vel leviter tinctus fueris, ex iiſdem Epiſtolis Romanæ Reipublicæ fata, everſæ libertatis cauſſas intimas, magnam illam rerum converſionem non ſine voluptate ſpectabis; ſuccedent deinceps libri de Officiis, de Amicitia, de Paradoxis, de Senectute, de Somnio Scipionis limpidi ſane, & perſuaves; poſt ad Orationum volumen, ac demum ad Philoſophica gradum facies.

XI.

Et univerſim Epiſtolarum lectio latinitatem plurimum promovet, uti quæ nullo fuco corruptæ nativo quodam nitore ſplendeant, & ad familiarem ſermonem proxime accedant, & in omni fere materia verſentur: e Recentioribus ad Ciceronis facilitatem proxime acceſſit Paullus Manutius; laudantur item Sadoleti, Bembi, Politiani, Mureti, Barlæi, Kolzavvæ, recentiſſimi Auctoris, Epiſtolæ: Lipſianas cave ante confirmatam latinitatem legas.

XII.

Puritati, quæ in Verbis eſt, præcipue adverſatur *Neoteriſmus*, & *Archaiſmos*: ille novatis; hic obſoletis, & antiquariis vocibus orationem corrumpit: hujuſmodi vocabula permulta, medii ævi Scriptoribus vel inventa, vel uſitata, Gerar-

dus Voſſius collegit: extat item à diverſis congeſta barbararum vocum farrago, quam percurrere ſubinde, & melioribus emendare expediet: antiquariis, & obſoletis in Critica fortaſſe, & joci gratia in Comœdiis uti licebit: non tamen reformidanda ſunt illa, quæ vel rebus Sacris, vel recens inventis Eruditorum conſenſu indita ſunt: in his perreligioſum eſſe putidum eſt, ne dicam juvenile.

XIII.

Puritas, quæ in Sententiis eſt, capitalem hoſtem habet *Peregrinitatem*, ſeu *Idiotiſmum*, quo ad vernaculas loquendi formulas verba, bona licet, & latina, miſerrime vulgo detorquentur; ut adeo Italus aliter, aliter Germanus, neque Gallus, uti Polonus, latine ſcribat, & dicat; quin plurium linguarum gnari de controverſis Auctorum Scriptis, qua gente quiſque fuerit ſagaciter e propriis cujuſvis Nationis Idiotiſmis divinent.

XIV.

In hunc ſcopulum infeſtiſſimum quotquot a Latio aberrarunt impacti, aut laboris magnitudine deterriti retroceſſere, aut ſua in barbarie perſeverarunt: ad hunc ſuperandum animi inductione firmiſſima utendum eſt, qua exhauriendum ſibi ſemel quidquid eſt faſtidii conſtituat: pro ſuſpectis habenda omnia, quæ Idiotiſmum vel leviter oleant: Varronis, Iſidori,

dori, & aliorum origines, ſeu Etymologiæ diligenter verſandæ, maximum ad recte loquendum ſubſidium: crebra demum optimorum Auctorum volutatione, exercitatione multiplici, ac religioſiſſima, viæ aſperitas eſt emollienda: poſt jacta hæc fundamenta quum te, ut ita dicam, emancipaveris, tuiſque auſpiciis militaveris, haud paullo liberiori eſſe licebit.

XV.

Præter Neoteriſmum, Archaiſmum, & Idiotiſmum, quos diximus, *Solæciſmo*, ac *Barbariſmo* fœde polluitur Oratio: Grammaticæ legibus uterque adverſatur: doctiſſimis etiam viris, dormitantibus nimirum, ſolœciſmos excidiſſe e Scioppio diſces. In ſyntacticis porro Regulis penitus verſatum eſſe inter prima Latinitatis adminicula cenſendum eſt. Barbariſmo vel Ortographiæ, vel Proſodiæ, vel Etymologiæ canones violantur: de his prolixius agere noſtri inſtituti non eſt: Balbinum Jeſuitam, uti brevem, ita accuratum Præceptotem; tum ejuſdem Collegam Maſenium, more ſuo latiſſime excurrentem, conſule, alioſque paſſim.

CA-

CAPUT III.

De Elegantia, & primum de Elegantia Verborum.

APHORISMUS XVI.

ITa ſunt hominum ingenia, ut omnibus in rebus delicias præter rem quærant; ne ipſa quidem puræ Orationis veritate afficiuntur magnopere, ſi nudam, incomptam, ſeveram, nullo verborum lenocinio adornatam propinaveris: igitur ad proprietatem Elegantia quoque adjicienda erit illi, qui hoc in campo eſſe aliquid, ac dominari voluerit. *Elegantia* vero alia *in ſingulis verbis*, alia *in ſententiis*, alia *in collocatione*, alia *in numero*, *in nexu* alia ſita eſt: elegans non eris, ni ad ſingulos hos numeros ſtudium, animumque advertas. De ſingulis agendum eſt diſtinctius.

XVII.

Verba rerum imagines, & ſigna ſunt, atque uti hominis animus, ſeu magnarum, ſeu venuſtarum rerum adſpectu, grandi, vel blando ſenſu contingitur; ita, ſi verba adferas magnitudinem ſignificantia, exporriget ſe Auditor; contrahet ad humiliora; trepidabit ad atrocia; exultabit ad læta; remittetur ad lenia:

cura

cura igitur in horum delectu magna Oratori adhibenda, quum plurimum interſit, quales audientium animis, quos tractandos habet, imagines offerat.

XVIII.

Meliora ſunt verba 1. Significantiora, quæ notionum dignitate; 2. Sonantiora, quæ ſoni quadam ſuavitate; 3. Longiora, quæ ſyllabarum numero præſtant. Notionum porro (id eſt ſignificationum.) dignitate excellunt, quæ res aut natura, aut arte, aut hominum opinione magnas ſignificant; uti ſunt *Divina*, *Cæleſtia*, *Meteora*, *Oceanus*, *&c. Palatia*, *Imperia*, *Victoriæ*, *&c.* vel quæ res natura pulcras exprimunt; ut *prata*, *rivuli*, *horti*, *ſtellæ*, *Muſica*, *&c.* aut ex oppoſito atrox quid, aut horridum ſpirant: in hanc rem, quod alias dicemus, expediet Orationum argumenta ſumere, quæ de ſe grandia, & hujuſmodi feracia verborum exiſtant.

XIX.

Soni ſuavitas e duabus item rebus exiſtit: certo primum vocalium, deinde conſonantium delectu. De vocalibus *A* ſonora, ſuavis, & clara eſt; *E* minus quidem ſonora, ſed paullo dulcior; *O* ſonora, & maſculi toni, ſed parum ſuavis; *V* porrectis fœde labiis lugubre quid habere videtur, præſertim ſi Gallicum, aut Lombardicum in morem tenuetur, &

contorqueatur; *I* ſtridula eſt, & hinnitum exprimit: poſtremæ hæ duæ in chromatis ſuis, & ductibus a Muſicis ſtudioſe devitantur; &, quum Orator auribus ſervire habeat, eccur hanc quoque partem elegantiæ non obſervet?

XX.

Qui curioſiores fuere, iis vocibus plurimum ſuavitatis tribuunt, quæ melioribus tribus vocalibus *A E O* conſtarent; ut *comprobare:* aut in quam omnes omnino vocales convenirent; ut *ſupplicationes:* quod ſi verbum aliquod plurium inſuavium vocalium ſub periodi finem ſe obtulerit, admitti poterit, dum vel penultima, vel antepenultima acuta ſonoram vocalem habeat, quæ geminato ſuo tempore brevem abſorbeat; ut *viriditatis*, *inimitabilis*, *&c.*

XXI.

E conſonantibus aliæ ſpiritu, aliæ gutture, aliæ lingua præcipue formantur. Spiritalium principes conſtituuntur *B F M*. Ex lingualibus primas tribuunt literæ *L* adeo molli, ut nutriculis, & diminutivis maxime ſerviat: ab hac *N R T* graviores ſunt; *D* mollior; *S* aſperum, & multis Nationibus inviſum. E gutturalibus *C* eminet, ut caput; *G* mitte eſt; duriores vero *Q X H; P L T* ſuaves, at minus ſonoræ; *B F M N G C V* molle fortes, ſed parum ſonoræ;

ræ; *C* durum; *S Q* aſperæ cum *R X H.*

XXII.

Univerſim vocalium, aut conſonantium concurſus crebrior, præſertim earumdem, exaſperat Orationem, & contextum illum, veluti nodis quibuſdam, implicat: ceterum putidius Euphoniæ ſtudium fere in Cacophoniam degenerat: vel legiſſe iſtæc, curamque mediocrem adhibuiſſe ſatis erit; niſi forſan in Inſcriptionibus, aliiſque ingenii luſibus amplius quid indulgendum videretur.

XXIII.

Longiora denique verba præ brevioribus deligenda ſunt, ut malis dicere *portentum*, quam *monſtrum*; pluralis item ſingulari grandior eſt, & poſitivis ſuperlativa, & ſimplicibus compoſita ſonantiora; quorum uſum optimis Auctoribus frequentatum videas: moderate tamen ſuperlativis utendum eſt, ne gravitatem Orationis, ac forte veritatem his ampullis offendas.

CA-

CAPUT IV.

De Elegantia Sententiarum.

APHORISMUS XXIV.

IDiomati cuilibet ſui ſunt proprii Idiotiſmi, quibus ſententia eadem verbis venuſtioribus efferatur: certe Latinum elegantiis plurimis abundat, quas Veteres *loquendi Genera*, nos, mutuato a Græcis vocabulo, Phraſes appellamus: atque in harum & notitia, & delectu elegantia præcipue ſita eſt. Notitiam hanc comparandi duplex eſt ratio: altera ut phraſes hujuſmodi ex aureæ ætatis Scriptoribus Marte proprio enotes; altera ut Collectorum, qui enotata ſua publici juris fecere, laboribus utaris: ſed enim quas ipſe e lectione collegeris, opes erunt certiſſimæ, neque umquam e memoria diffluxuræ; nam & ſua cuique præda dulcior eſt, & nummum tenaciores ſumus, qui labore, quam qui hereditate obveniunt; &, ſin minus ingenii, certe diligentiæ noſtræ partus, ut rem noſtram, præ alienis diſſuaviamus.

XXV.

Si tua tamen in ratione vivendi ſint ad legendum, & enotandum anguſtiora ſpatia, exteræ ſuppetiæ in ſubſidium vocan-

candæ ſunt : præ ceteris uſui erit Aldi Manutii Phraſeologia, quam ut manibus numquam emittas auctor ſum : fuere, qui huic ſoli Latinitatem ſuam acceptam ferrent : extant in eamdem rem præclaræ aliorum Operæ; Hadriani nempe Cardinalis, Cochlæi, Valle, Schori, Doleti, Fabricii, Schenslederi, Buchleri, Silvii, Turſellini, Pontani, ac noviſſima Franciſci VVagneri Jeſuitæ, & Præceptoris aliquando mei, Viri in omni quidem literatura, in hac vero plane verſatiſſimi. Tria vero ſunt in his incommoda : primum quod plures ſint, ac ut legi omnes poſſint; deinde quod nullo fere ordine confuſi; denique quod eorum copia non paſſim habeatur.

XXVI.

Igitur id conſilii venit in mentem, ut ex iis ſingulorum verborum, nominum, particularum uſus breviter, & perſpicue, velut in tabulam quamdam, contraheretur : Silvius e Cicerone tres Latinarum Elegantiarum, in quibus ſingulare quid ineſſe animadverterat, Centurias; Buchlerus lectiores ex illis CXLIX. congeſſit : ut vero inde fructum optatum capias, triplici exercitationis genere memoriæ, quod enotaveris, defigendum erit : *Lectione*, *Scriptione*, *Auſcultatione*.

XXVII.

Scriptione, qua in propoſitæ ſcriptio-
nis

nis argumentum nuſquam non traducere aliquid, & ſuo loco admiſcere aſſueſcas; phraſin eamdem pluribus diſparatis argumentis accommodes, exemplis illuſtres. *Lectitatione*, qua, antequam ad ſcribendum adgrediaris, vel per tranſcurſum delibes aliquid: uſu comperies, ſemper aliquid in rem tuam ſe oblaturum. *Auſcultatione*, qua vel Diſcipuli inter ſe de phraſium harum natura diſputent, aut a Magiſtro prælegente excipiant; mirum enim, quam viva vox præ mortuo libro altius in animum deſcendat. His certe induſtriis, nihil dubito, brevi tempore magnum te operæ pretium experturum.

XXVIII.

Ad has, quas diximus, nativas linguæ Elegantias, venuſtatem Orationi conciliant *Tropi*, *Figuræ*, *Antiquariæ formulæ*, *Sententiæ*, *Adagia*. Figuræ colorem, vigorem, ſpiritum indunt Orationi; judicio tamen opus, ut parce, & loco ſuo illuſtriores; vulgares creberrime adhibeas. E Tropis in re Oratoria *Metaphora*, & *Allegoria* aliquid valent; ceteri Poetis fere relinquuntur. Illud certum, nimio Tranſlationum uſu gravem Latinitati plagam a Recentioribus, tantum non in Poetas degenerantibus, inflictam; nec alia re vividam illam, & ſenatoriam gravitatem, fidem, motumque, bono Oratori

tori ſpectandam, magis infringi, ac Metaphorarum hac luxurie. Antiquarias formulas aliquas Balbinus congeſſit; tu ex ipſis Romanæ Hiſtoriæ fontibus jucundius petes. Adagia Roterodamus collegit. De ſententiis vide Ariſtotelem.

XXIX.

Obſerva tamen, quod P. Juvencius prudenter monuit, ne in Phraſeologiis, Lexiciſque terendis ſita putes omnia: Lectione crebra optimorum Auctorum, enotatione ſedula haud paullo plus te profecturum confide; ab libellis tamen illis lepores quoſdam, ac delicias Latinitatis indicari, legentiſque palatum velut exacui: denique, dum hæc legis, monendus es mihi identidem, & confirmandus, ne te hiſpidæ, & in ſpeciem puerilis operæ faſtidium inceſſat. Cogita, fundamentum te jacere totius humanioris Literaturæ; brevem laborem fructus promittere ampliſſimos; niſi perruperis hæc obſtacula, hærendum ſemper in veſtibulo, fœdaque cum barbarie confligandum; eſſe quamplurimos, qui rei hujus neglectum ſerio deplorent, & ſero; ſuperato hoc aditu fore, ut totum te Scientiis realibus, ac ſine obice permittas.

CAPUT V.

De Elegantia Collocationis.

APHORISMUS XXX.

PLus momenti in Eleganti Collocatione ſitum eſt, ac vulgo exiſtimetur. Sententia eadem etſi phraſi, verbiſque optimis concinnata, ſed perturbata, male cohærens, fluxa, venuſtatem omnem amittit; at ſi ordinem addideris, verba apte compoſueris, aut trajeceris, diſſidebit adeo a ſeipſa, ut eamdem non agnoſcas; ut, licet apice nullo addito, novum decorem neſcio quem, & gratiam induat: quapropter veræ Eloquentiæ Candidato inter primas euras iſtæc quoque habenda eſt.

XXXI.

Doctrina tamen hæc, ſeu Magiſtrorum, ſeu Diſcipulorum neglectu, propemodum jacet; etenim Diſcipuli, poſtquam in invenienda ſententia, eademque pulcris, & elegantibus verbis conveſtienda utcumque elaborarunt; ungues in conquirenda phraſi, evitandaque barbarie terque quaterque admorderunt, acquieſcunt ſcilicet laboris pertæſi, remque habent pro confecta, nec ultra animum porrigunt; at præpoſtere profecto;

ec-

ecquid enim ſuperiores illæ curæ, niſi ſuprema hac perficiantur; ſi ab opere imperfecto manum tollant de tabula; ſi impexam, illotam deſerant, quantumvis alioqui formoſam, Orationem?

XXXII.

Certe tam Naturæ quam Artis opera omnia, utut natura validiſſima, & pulcherrima, nonniſi ordinis beneficio valida ſunt, aut pulcra. Exercitum non hominum vel innumerabilium multitudo, ſed ordines faciunt; aſtrorum inter ſe venuſtiſſime cohærentium nexu ſuaviſſimum quemdam concentum edi credidit vetus Philoſophus; & credere quis poſſit, incondito quodam, & diſſipato, & confuſo vel optimarum vocum acervo liberas hominum voluntates, delicatas aures mulceri poſſe, ac permoveri? negligendum Oratori non eſt, quod Muſicus, quod Architectus, quod fabrilium operum Magiſtri tam curioſe ſpectant.

XXXIII.

Perficitur autem hæc *Collocatio* 1. *Junctura*; 2. *Ordine*. Ordo alter naturalis eſt; alter artificialis. Naturalis poſtulat, ut verbis eum locum aſſignes, quem eorum notiones in natura obtinent; v. g. *ortum præprimis, & diem, quam ſolis occaſum, & noctem; nec victoriam ante prælium &c.* recenſeas, niſi pro rerum diverſitate argumenti ratio aliud vellet.

XXXIV.

XXXIV.

Artificialis Ordo in eo verſatur: 1. Ut creſcat potius, quam decreſcat Oratio; nec dicat: *ſacrilegus*, *fur*, *petulans*; ſed ordine inverſo. 2. Ut ad evitandam ambiguitatem dubiis vocibus certas ſubſtituas, id quod plurimum facit ad perſpicuitatem. 3. Ut neque vox ſit remotior, nec propinquior, ſed juſto intervallo ita inter ſe diſcretæ omnes, ut nulla tribui poſſit alteri, a qua diſſidet. Ceterum totam hanc Doctrinam, de Junctura præcipue, apud Cyprianum Soarium & breviter, & pulcherrime pertractatam reperies, ad quem te, ne actum agam, lubens remitto.

CAPUT VI.

De Elegantia Numeri.

APHORISMUS XXXV.

E juſta Collocatione Numerus oratorius oritur; in cujus legibus exponendis adeo multi fuere, & prolixi Ariſtoteles, Cicero, Quintilianus, ut ſola tantorum Virorum auctoritas rei momentum, & pondus ſatis declaret: hac una dote clamores excitari, & admirationes tradit Cicero, idque de ſuis aliquot numeroſioribus Periodis diſerte commemorat,

rat, iſtaque laude ita præſtat, ut inimitabilis videatur.

XXXVI.

Orationem numeroſam facit periodus; periodum vero certorum pedum obſervatio: ſunt periodi quædam natura aliis numeroſiores, quales ſunt, 1. Quæ membrorum æqualitatem, 2. Quæ antitheſim habent, 3. Quarum membra ſimiliter cadunt, aut deſinunt. Æqualium membrorum, ſeu periodi Iſocole exemplum habes apud Ciceronem: *Quorum alterum optare crudelitatis eſt; alterum conſervare clementiæ*. Antithetica illa eſt: *Dum cogitas agenda, non agis cogitanda*. Similiter deſinens illa: *Vixiſti ad populi deſiderium parum; ad res geſtas ſatis; ad memoriam poſterorum ſemper*. En ut iſtæc ſuapte numeroſe cadant! Numeroſiſſima erit, quæ & æqualitatem in membris, & contrapoſitionem, & ſimiliter cadens incluſerit; talis eſt illa, qua Cicero ut abſolutiſſima gloriatur: *Eſt enim, Judices, non ſcripta, ſed nata lex &c.*

XXXVII.

Major erit in Antithetica periodo concinnitas, ſi duobus membris contrapoſitis rationes item contrariæ, & concluſio ſubjicjantur; uti illa: *Alind eſt maledicere; aliud accuſare; nam accuſatio crimen, maledictio contumeliam deſiderat*. Vide Ideam Argutiarum Theſauri c. 4.

de Fig. Harm. ubi doctrinam utiliſſimam ingenioſe, ut ſolet, lateque proſequitur.

XXXVIII.

Periodus vero ipſa, certa pedum, ſyllabarùmque quantitate, numeroſa evadit; de quibus accurate Cyprianus Soarius e Cicerone, & Ariſtotele. Illud univerſim obſerves velim: uti aurigandi Ars ſtimulo utitur, & freno; quorum altero incitet equum ceſſantem, altero retineat incitatum: ita longarum ſyllabarum Moloſſi, & Spondæi tarditatem, brevium, ut Dactyli, & Tribrachis, celeritate, excitandam; & contra horum levitatem, illorum gravitate, coercendam; &, quum breves longis duplo fere ſint plures, identidem Spondæis breves temperandæ erunt.

XXXIX.

Jambi in primis, & Choræi crebriores vitandi ſunt, viles adeo pedes, ut Jambi Comicis, Servis, Paraſitis; Choræi plebejis carminibus tribuantur. In fine periodi Dichoræus maxime placet, quem ita deperire Cicero viſus eſt, ut, quum hæc conſcriberem, fortuita lectione adverterem, illo pede in Oratione Maniliana continuas ſeptem periodos, pluresque ſparſim terminatas. Commendatur item Creticus, &, Jambo præcedente, Diſpondæus; primus item, & ultimus Pæon.

XL.

XL.

Obſerva autem, non in fine dumtaxat, & initio periodi; ſed membris ſingulis, quamquam non perinde anxie, curandum eſſe numerum: denique in tota hac re adhibendum eſt aurium certiſſimum judicium; quæ facile definiunt, quid æquabile, ſonans; quid contra hiulcum, & aſperum accidat.

XLI.

E Sanctis Eccleſiæ Doctoribus, multis major de numero, quam de numerorum varietate cura fuit: ſimiliter cadentibus, & Iſocolis fere delectantur. Sancto Leoni, Pontificum diſertiſſimo, ea ratio placuit, ut membra brevibus, periodos longis terminaret; quod in præclaro illo de Sanctis Apoſtolorum Principibus Sermone perſpicue animadvertes: nempe deficientis jam tum Latinitatis deformitas his numerorum adminiculis fulcienda erat.

XLII.

Etſi hæc Doctrina Oratoris ſit propria, omni tamen ſcriptionis generi convenit: eſt ſuus Hiſtoriæ, ſuus Epiſtolæ, ſuus Dialogo ipſi numerus. Thucydidis, & Livii rotunda admodum, & polita eſt Oratio, iique potius, quam Taciti, aut Salluſtii ſcabrities imitanda eſt.

CAPUT VII.

De Elegantia Nexus.

APHORISMUS XLIII.

PEr Nexum efficitur, ut nihil in Orationis corpore hians, abruptum, diſſutum: contra, ut partes ſingulæ ſuis vinculis ita illigentur, ut nihil tamen artis, & commiſſuræ appareat, quæ Tranſitionum nomine vulgo veniunt; res, cum qua miſere confli&tantur Tirones; dum aut paſſim adhærent, aut tranſiliunt potius, quam tranſeunt, aut formulis trivialibus utuntur. Certe apte inter ſe committere omnia aut diligentis, & ſtudioſi Tironis, aut veterani judicii eſt.

XLIV.

Aliæ Orationis partes majores ſunt; ut quum Exordium Narrationi, hæc Confirmationi, aut argumentum argumento, vel Amplificatio fuſior, vel Digreſſio, vel Peroratio parti alteri nectenda eſt. Minores partes majoribus includuntur, neque ſine nexu eſſe debent; ut quum a Propoſitione; & ſententia aliqua ad rationem proximam, vel remotiorem, vel ad Concluſionem tranſcundum eſt; vel quum ad ſententiam,

diſ-

diſparem, vel Exemplum, vel teſtimonium, aut aliam Exornationis partem gradus ſit.

XLV.

Majores partes nectendi variæ ſunt rationes: præcipuas adferamus: 1. Breviter proponit rei dicendæ ſummam, ut: *percipite fraudem ſingularem &c.* elegantior eſt hæc ratio, ſi cum partitione conjungatur. 2. Petit attentionem, velut ad rem novam, valde utilem, admirandam. 3. Cauſſam, vel occaſionem adfert, cur alio tranſeat, ut tempus, locum, brevitatis ſtudium, &c. 4. Oſtendit vel ſummatim, vel per brevem anacephaleoſim, quid dictum hactenus, quidque dicendum reſtet; ut: *de turpitudine dixi; de periculo videamus, &c.* 5. Fit a comparatione partis prioris cum ſequente, ut: *multum dixi; atrociora audietis, &c.* 6. Id, quod ex dicendis conſequitur, pro via, & tranſitione adhibet; ut: *porro, ut bellum deteſtemini, videte ejus pericula.* 7. Affectu aliquo miſerationis, iræ, doloris utitur. 8. Aut figuris Apoſtrophes, Prolepſis, Dubitationis, Repetitionis, Gradationis, Permiſſionis; quæ poſtremæ duæ nexuum venæ ſunt fecundiſſimæ.

XLVI.

Minorum vincula partium ſupra relatis rationibus, figuris item, & affecti-

bus, tum vero præcipue certis particulis nectuntur. Conſcripſit hac de re libellum longe utiliſſimum Huguſinus; e quo & particularum, & formularum harum paradigmatum ſilvam uberrimam petere licet; adeoque auctor ſum, ut hunc tibi compares; quumque vel Oratio, vel Poema longius conficiendum, diligenter inſpicias; quando, quod dictum eſt, hic apte nectendi labor nec facilis, & neceſſarius eſt Tironi.

CAPUT VIII.

De Copia Verborum, & Sententiarum.

APHORISMUS XLVII.

IN Tullio vel ipſi æquales beatiſſimam illam ubertatem, &, ut Sulpicius ajebat, divitias Orationis plurimum ſunt admirati; uti qui ſententiam eamdem quoties Roſcius geſtu, toties Cicero verbis aliter, aliterque effingeret. In eamdem laudem tendendum eſt Latinitatis ſtudioſo, ut non pure dumtaxat, & eleganter, ſed copioſe inſuper, magnaque varietate loqui aſſueſcat, & ſcribere. Certe, ſi de eodem argumento conſcribendus ſit liber, aut in linguam aliam convertendus; ſi Poema, ſi Oratio prolixior condenda, ſine copia hac nec

odio-

odioſam Tautologiam, nec vilem ſterilemque jejunitatem effugeris: ſine eadem in Auctorum prælectione aqua hærebit identidem, neque dices ex tempore, neque ſplendidum quid, & varium umquam elaboraveris.

XLVIII.

Ridiculum vero eſt, ſi is, qui, linguæ proprietatem nondum aſſecutus, ſententiam ne ſemel quidem pure emendateque efferre norit, Copiam affectet; hoc eſt: barbariem ſuam diffundere latius, magiſque in conſpicuo ponere velit. Tibi vero, ex his initiis jam eluctato, præ ceteris aureum Roterodami de utraque Copia libellum familiarem cupio, utpote quem extrema ætate, maturiſſimo nempe judicio, magnoque Humanioris Literaturæ commodo confecit. De utraque quid præcipiat, habe.

XLIX.

Sententiam variandi ratio locupletiſſima eſt, & ſimpliciſſima per Synonimiam; *ut enſis, gladius, &c.* Synonimorum itaque vis undecumque maxima e bonis Auctoribus contrahenda, neque e congerie hac vel obſoleta, vel inuſitata, poetica, priſca, novata, dura, peregrina excludenda erunt; quibus ſubinde, ſed cum præmonitione aliqua, uti licebit; v. g. *ut antique, ut cum poetis loquar; cur Ennii verbis non utar?*

cur a Plantino vocabulo abhorream? &c. uberem hujus Synonimiæ ſupellectilem offeret novum VVagneri Lexicon Phraſeologicum, cujus, Aphoriſmo XXV. præter alia, memini.

L.

Huic propinqua variandi ratio per Enallagen eſt, per quam vox eadem paullum deflectitur: eſt autem mutatio hæc multiplex, quum 1. Verbum mutatur nomine; v. g. *confido: fiducia mihi eſt. dubito: in dubio ſum, &c.* 2. Aut nomen idem paullo aliter flectitur; v. g. *bibax, bibulus, voluptuoſus, &c.* 3. Aut tempus tempore mutatur; v. g. *memini me legere, legiſſe, &c.* 4. Aut numerus numero; v. g. *Romanus Victor, Romani Victores, &c.* 5. Aut perſona; v. g. *quid huic homini facies? quid faciam? &c.* 6. Aut caſus; v. g. *utor re, utor rem, &c.* 7. Aut genus, ut quum Activum Paſſivo commuto; v. g. *reverto, revertor, &c.* 8. Aut ſpecies, quum nempe Derivata pro Primitivis, Diminutiva pro Perfectivis, Frequentativa pro Simplicibus ponuntur. 9. Aut Figura, ut quum, pro ſimplici dictione, compoſita, aut contra, utimur; v. g. *ponere, deponere, &c.* 10. Aut modus; v. g. *eum a me ſalutato, ſalutaveris, ſalutabis, &c.* neque ſpernendum exiſtimes ut puerile variandi hoc genus: quanti uſus ſit, in magno præſertim opere ſenties.

LI.

Variatur item Sententia per Periphraſin, ut quum pro Epicuræo Voluptatis Aſſertorem dicimus, &c. Huc refertur Definitio, Etymon, Antonomaſia, Metaphora; ut quum *allatrare* dicimus pro *conviciari*. Non poſſum, quin adſcribam egregium Ciceronis exemplum: *Quod fretum, quem Eurypum tantas, tam varias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus; quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio Comitiorum: una ſæpe nox perturbat omnia, & totam opinionem parva nonnumquam commutat aura rumoris*. Quid hac varietate lætius? Copiam & reliqui Tropi ſuppetunt; ut Synecdoche, Metalepſis, Metonymia, Hyperbole; queis tamen ita timide uteris, ne in Poetarum fines imprudens abripiare.

LII.

Egregia, & fertilis variandi ratio eſt Æquipollentia, quæ fit fere verbis contrariis, addita, aut geminata negatione; v. g. *homo egregie doctus*, *minime indoctus*, *&c.* Atque hac de cauſſa in Lexicis Phraſeologicis adjuncta paſſim videbis contraria ſignificationis verba. Huc pertinent Relativorum converſio; v. g. *non alium patrem malim*; *non alterius filius eſſe malim*: item: *dedit mihi*; *ab eo accepi*. *Plato Ariſtotelem docuit*; *Ariſtoteles Platonem audivit*.

LIII.

Variatur ſententia comparatione; v. g. *pecuniis inhiat; pluris pecuniam facit, quam famam, &c.* Eadem Copia enaſcitur e contrariis, ut *ſuſcipit; deſpicit: appetit; faſtidit, &c.* Poſtrema denique, & fecundiſſima variationis vena eſt in figuris Rhetoricis, quæ ſingillatim decurſæ haud dubie locupletiſſimum facient; v. g. *Dii boni! quam amat pecuniam; diſpeream! ſi quidquam curat acrius; dubito, famam, an nummos prahabeat; o hominis avaritiam ſingularem! quid eſt, quod magis curet? &c.*

LIV.

Eſt & illa Exercitatio ad Copiam inſignis, de qua Paulus Manutius (quantus autem vir! quam latinus!) diſerte inquit: *Si quid ſum, ab hac una me eſſe contendam.* Hanc vero ita deſcribit: *Exquiſitas ſententias, ut Ciceronis, tacitus animo verſabam; eas ornabam verbis quam poteram lectiſſimis, ut, quaſi veſtitu Orationis mutato, quum eadem eſſent, aliæ tamen viderentur: erat non diſſimilis in verborum figuris commentatio; ſi quas notaram illuſtriores, ad alias ſententias ita traducebam, ut interdum eamdem locutionem in res prope innumerabiles accommodans, quaſi ex una cera plures imagines, nec tamen ejuſdem generis effingerem.* Hæc ille.

LV.

Iſtoc vero conſequeris ope Lexicorum. Percurre in his verba omnia; ſingula ad unam, eamdemque ſententiam apte exprimendam traduces, aut, quod idem eſt, verbum unum ad plures, diverſaſque ſententias efferendas accommodabis. Opus erit arte, judicio, ingenii contentione non mediocri; at minuet exercitatio laborem, ut prompte etiam, & ſuapte ſequantur. Auſim ſpondere, hanc parandæ Copiæ prope principem eſſe induſtriam, idemque re cum Manutio emolumenti hauſſurum.

LVI.

Huic affinis eſt Theſauri inventio, quæ novas illas figuras excogitavit, Tractatui Chriæ ſubjici ſolitas; quæ, verbuli unius occaſione, ac veluti indicio, ſententia eadem in alias, aliaſque formas transfunditur. Age itaque, manum admove, atque ſententiam hanc: *Judæi pecuniarum ſunt avidiſſimi*: primum per omnes, quos enumeravimus, Roterodami locos; deinde per omnia Lexici verba; demum per Theſauri figuras circumducito. Boni Dii! quis acervus! quæ opes!

LVII.

Ad generales has variandi rationes adjungendæ ſunt particulares aliæ; ut ratio plura ex æquo tribuendi, v. g. *doctus vir eſt, & probus*: vel removendi, v. g. *nec*

doctus eſt, nec probus; vel copulandi contraria, v. g. *doctus eſt, non item probus*. Item ratio variandi Poſitivum, Comparativum, Superlativum; negandi, tranſeundi, &c. Quarum formularum ſilvam, ab eodem Roterodamo congeſtam, ſi familiarem tibi reddideris, mentior, ni facundus ſis. Etiam P. Franciſcus Pomey Jeſuita, in ſuo Candidato Rhetorices, ad Copiam hanc comparandam rationes alias, præter has, recenſet; ad quem te remitto.

LIBER SECUNDUS.

De Re Poetica.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPUT I.

De Natura, & Proprietatibus Poetica.

APHORISMUS LVIII.

POetica a Poemate, principe nimirum ejuſdem opere, bene definitur, quod ſit *Hiſtoria ad naturalem, ſeu moralem Philoſophiam, Oratione ſtricta tradendam, ad placitum cum decoro confiꝭa.* Atque ſic definita eaſdem, quas Hiſtoria, Diviſiones ſubit; ut fictiones aliæ ſint Naturales, Civiles, Eccleſiaſticæ, Annales, Vitæ, &c.

LIX.

Latius vero accepta complectitur 1. *Epopæjam*, ſeu juſtum Poema; ad quod Panegyrica, Didactica, Satyrica, & alia ejuſmodi Poematia, quin, Hexametri cauſa, Elegia ipſa referuntur. 2. *Tragœdiam*, Comœdiam, Drammaticam. 3. *Lyricam*. Epica hominum mores, & actiones legendas, Tragœdia ſpectandas obji-

objicit; Lyrica nullos limites habet, ultra naturæ fines effuſa.

LX.

Inventa eſt primo *ut proſit*; id eſt aſpera Philoſophiæ faſtidioſis alioquin, aut rudibus ingeniis, confictæ Hiſtoriæ deliciis condita, velut ex inſidiis, ingerat: hoc niſi præſter, lenocinium facit, & cum ceteris voluptuariis Artibus e Republica in Inſulam deportanda eſt: hoc ex capite obſcœni, aut impii Poetarum in numero habendi non ſunt.

LXI.

Secundo *ut delectet*; id quod non tam carminis ſuavitate, quam mira rerum novitate conſequitur: conficta namque iſtæc, præ ipſa vera Hiſtoria, nativam hominum curioſitatem ſuavius afficit: illa ſiquidem veris eventibus alligata; hæc longe liberrima: illa res geſtas; hæc, quæ fieri poſſent, & futura ominatur, & non futura: illa obvia rerum earumdem ſimilitudine ſatietatem adfert; hæc inexhauſta Varietate animum, extra rerum metas seductum, blandiſſime ſuſpendit.

LXII.

Eſt igitur *Novitas* character, & virtus præcipua Poeticæ; id quod ipſum τῦ Ποιτῦ, veluti *Conditoris*, nomen ſatis indicat, neque vetuſta, aut aliena adferenti convenire poteſt. Componunt Oratores; condunt Poetæ; hac fortaſſis

de

de cauſſa *Divini* vulgo dicti, veluti ad Deum, res omnes e nihilo effingentem, proxime accedentes.

LXIII.

Inde duo ad Poeticæ naturam cognoſcendam idonea conſequuntur: alterum, quod, Philoſophiæ v. g. qualem Ariſtoteles tradidit, cognitione, Ariſtotelicus eſſe poſſis, & Philoſophus; non item Poëta futurus es, ſi Poetarum Opera omnia, & Virgilii arcana, & Mythologiam teneas, ut tuos ungues; niſi fabulam de tuo producas inauditam, & dictionem, cujus muſica ſuavitas felici Veterum imitatione temperetur.

LXIV.

Alterum, quod oraculi ad inſtar accipiendum ſit Horatianum illud: *Mediocribus eſſe Poetis non homines, non Dii, non conceſſere columnæ.* Ut aliis in Scientiis laudi ſit mediocritas; hic certe culpa vacat, non item laudem meretur: ſi paullulum a ſummo declines, vergis ad imum: mediocri eſſe non licet, qui Divini nomen implere, qui nova novis verborum illecebris procudere, qui inter exempla eſſe ſe poſſe confidit.

CA

CAPUT II.

De Poetæ Dotibus.

APHORISMUS LXV.

TAle quum ſit Poetæ officium, tam ſublime, tam arduum; qualiter comparatum eſſe oporteat artis hujus Candidatum, facile conjicies: ego tria præcipue in eo requiro. Primum, ut Ingenio valeat ultra vulgarem modum. Alterum, Doctrina ampliſſima ut inſtructus ſit. Tertium, ut Prudentia polleat excellenti: his ornatus dotibus dignus eſt, qui arcanis hiſce Myſteriis initietur. De ſingulis dicendum eſt.

LXVI.

Ad ingenium Imaginandi virtutem revoco, qua niſi excellas firmiſſima, actum agis: vis ejus in eo ſita eſt, ut in omnes ætatum, ordinumque omnium mores, & affectus te fingas: furas cum Hercule, cum Niobe fleas, &c. animiſque totis commoveare; præliorum, ac tempeſtatum, &c. imagines vivaciſſimas concipias; rebus geſtis extatica quadam vi mentis interſis, &c.

LXVII.

Ingenium vero ſic dictum celeres illos animi motus, fertilitatem, ac varietatem

miram, rerum combinationes novas, acumen; acrimoniam, ſpiritum ſubminiſtrat; falſum ſecernit a vero; futura confert cum præteritis; Mundos novos, & Cælos ære ſuo fabricatur; vertit ſe in partes omnes; omnia in alimentum novarum inventionum convertit; &c.

LXVIII.

Multum in corporis habitudine ſitum eſt: phlegmaticorum pituita ætherium illum calorem minime recipit; ſanguinei laborem non ferunt, micant, non urunt; cholericorum fervor ſæpe in medio curſu deficit; itaque aptiſſima Poeticæ eſt Melancholia, non triſtis illa, & feralis, ſed mitior altera, quæ, ſanguinis, biliſque temperato fervore, ſpiritibus, ne in auras evaporent, coercitis, rerum magnarum imagines viſcoſo ſuo complexu fovet, ac maturat.

LXIX.

Melancholia hæc magnarum cogitationum, quin Scientiarum omnium altrix Eutrapeliæ in primis, & feſtivæ amœnitatis mater eſt, ac Poetæ dos omnino neceſſaria; jocatur, & contrahitur, dum libet: certe hilaritas quædam experrecta inſignem Poemati ſplendorem conciliat.

LXX.

Concitata, exæſtuans, exundans Melancholia Poeticum illum furorem progenerat, dum rerum in phantaſia reſi-

den-

dentium imagines permiſcet; ſanguinem in venis tumefacit; Poetam in omnes affectus agit: fuere, qui hunc ingenii fervorem generoſiore vino extimulandum cenſerent: Ennius, & Horatius raro ſobrii ſcripſere; atque hujus dictum eſt: *Nulla placere diu, nec vivere carmina poſſunt, quæ ſcribuntur aquæ potoribus.*

LXXI.

Præſtantis ingenii duplex eſt officium: ut Perſpicacia valeat, & Promptitudine: Perſpicacia in remotiſſimas, minutiſſimaſque argumenti cujuſque circumſtantias penetrat; rei ſubſtantiam, materiam, formam, accidentia, proprietates, cauſſas, effecta, fines, ſympathiam, ſimilia, paria, diſparia, nomina propria, & æquivoca pernoſcit multa ſagacitate.

LXXII.

Promptitudo circumſtantias has inter ſe, aut cum ſubjecto celeriter combinat, copulat, disjungit, minuit, auget, alteram ex altera deducit, plane ut præſtigiatores calculum unum pro altero mira dexteritate ſupponunt: itaque ingenioſus eſt, qui & rerum attributa, mutuamque, aut cum aliis combinationem, motu animi celerrimo, perficit.

LXXIII.

Ad excellentis ingenii bonitatem Amplitudo Doctrinæ accedat neceſſe eſt; fieri namque non poteſt, ut, qui Divinas, huma-

humanaſque literas animo non ſepſerit, Divinum quid, & novum, & amplum inveniat; noviſque loquendi modis conveſtiat: præ ceteris artibus Coſmographia, & Geographia, pleræque Matheſeos partes, Civilis Hiſtoria, & Naturalis magnum lumen adferunt; denique nulla ſit Scientia, cujus ſumma capita non delibarit Poeta: certe Homerum, & Maronem ſapientes, & Artium Cyclum emenſos fuiſſe conſtat.

LXXIV.

Ad Realem Doctrinam adjungenda quoque Verbalis eſt; nimirum ut ejus, qua uteris, linguæ ſummam copiam teneas; quæ neceſſaria eſt adeo, ut miſeratione ſit dignus, qui ſine hoc paratu itineri ſe huic extatico accingat, aut in equuleo hoc miſere torqueat ſe, ac diſtendat: nihil juvenibus Poeticæ ſtudium æque inamœnum reddit, quam iſtæc verborum penuria.

LXXV.

Prudentia denique Literaria inſtructus ſit Poeta, qua cum judicio diſcernat, quid cujuſvis conditionis, ætatis, ſexus mores, & affectus ſibi velint; in tanta fingendi licentia decorum obſervet; neque extra Inſtitutum ad oſtentationem in locos communes evagetur.

LXXVI.

Ergo, quum tot dotes, tam excellentes

tes perraro in unum caput confluant; quum rarus admodum ſit, qui phantaſia firma, & ingenio acuto, & judicio ſit maturo, qui in dicendo perſpicuus, in inveniendo ſubtilis, ac ſimul ſit laboris tolerans; evenit, ut pauciores fere Poetas, quam Imperatores bonos, quodvis ſeculum numeret: nempe qui talis eſt, ad altiora ſeu ſtudia, ſeu negotia vel ambitioſe prehenſatur, vel haud ægre averti ſe ſinit.

LXXVII.

Vir porro, his naturæ præſidiis inſtructus, etſi artem ſibi negligendam non cenſet, libere tamen, & æſtu quodam evagatur potius, quam ut præceptorum inutilium ſervitute ſe conſtringi patiatur: Odyſſæa illi, vel Æneis perlecta præ omnibus præceptis ſunt, ut ad harum formulam par aliquid antiquis proferat: nulla prope Scientia regularum parcior eſt, & incurioſior.

LXXVIII.

Qui minus peculii ſibi eſſe ſenſerit, non inde animis cadat; naturæ parſimonia, & verſuum contumacia, multa exercitatione, ac, præ adjumentis omnibus, imitatione emolliri poſſunt; uti Virgilius Homerum, imitando, ſuperavit.

LXXIX.

Imitationis probæ hic labor eſt præcipuus, ut, quæ aliena ſunt, propria fiant,

&

& videantur: fit autem aut addendo, aut detrahendo, aut denique ſolutam verſu, aut unum carminis genus alio commutando; idem de rerum imitatione cenſendum eſt: unus aliquis princeps Poeta in exemplum ita ſumatur, ut ne inferiores tamen alii negligantur.

LXXX.

Invita Minerva ne quid ſuſcipiatur, præprimis moneo: cui placidius ingenium, amet is Elegiam, & colat; cui calidius, in Lyram, aut Satyram ſe transferat; cui mixtum, Epico ſe devoveat; ſua quiſque in Sparta laudem ſibi, & nomen aliquod conficiat.

LXXXI.

Poetices vel inde ſumma eſt utilitas, quod Oratorem & in Inveniendo ſubtiliorem, & in Dicendo faciat copioſiorem: Heroica gravitatem; facilitatem ac mitiores affectus Elegia; Epigramma acumen. Satyra vehementiam; ſublimitatem Lyrica; Tragica genus omne vehementiorum affectuum in Orationem congerunt: doctiſſimi quique tum Oratores, tum Hiſtorici, prima juventute, Poeſim impenſe coluerunt.

CAPUT III.

De Elocutione Poetica.

APHORISMUS LXXXII.

NE Poeticæ Elocutionis, quam novitate unice placere diximus, difficultate abſterritus quis animis concidat; oſtendemus Elocutionis hujus fontes, paſſim a Præceptoribus indicatos, uberes eſſe adeo, & inexhauſtos, ut novorum ornamentorum ſumma copia ingenio vel mediocri deeſſe non poſſit, ſi diligens, conſtans, defixa meditatio acceſſerit.

LXXXIII.

Præter Maſenianos argutiarum fontes, quorum in re Poetica & maximus, & perpetuus uſus eſt, alii ſunt & Poetis proprii: è Tropis quidem Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Periphraſis; e Figuris Helleniſmus, & Idiotiſmus. De ſingulis paullo curatius dicendum eſt.

LXXXIV.

Metaphora, paucis multa ſub aliena imagine indicans, ornamentorum omnium facile princeps eſt, & vivaciſſimum, & per omnem Poetices amplitudinem diffuſum: ejus vero inventio iſti præſtantiſſimis ingeniis prompta eſt,

&

& expedita; ita minus aut perſpicaci, aut verſatili, artificio, & induſtriis extundenda erit: quales hæ eſſe poſſunt.

LXXXV.

Spes tota Metaphorarum ubertatem pro omni argumento conquirendi in eo eſt ſita, ut attento animo, & penitus intra ſe collecto minutiſſima rei adjuncta, antecedentia, conſequentia, cauſſas, fines, &c. ſolerter complectare: e rebus tot, imaginibus tam copioſis, nullo negotio, occurret, quod cum altera ſimilitudinem quamdam habeat.

LXXXVI.

Quod ſi vel argumentum ſterilius, aut ſecundis ventis deſtituatur flaccida cogitatio; ad Artem analogicam te conferes, ab Emmanuele Theſauro primum conceptam, a Kirchero deinde, celebri illo Mathematico, ingenioſiſſime digeſtam: ſi neutrius libri copia fuerit, Commenii Janua, Pexenfelderi Apparatu, Nomenclatoribus, Indicibus te utcumque juvabis.

LXXXVII.

Quum præſtantes Poetæ pauci fuerint, & argumenta plurima intacta reliquerint, neque in ſuo argumento viderint, & exhauſerint omnia; fieri non poteſt, quin e tota hac rerum creatarum ſerie ſimilitudines prope innumeræ, diligenti meditatione, erui poſſint: quare, quum

præ-

præcipuum Poeſeos ornamentum tam la-te pateat, nemo ſibi hue occluſos aditus queratur.

LXXXVIII.

Altera eſt Imitationis Induſtria: *ridere prata* vetuſtum eſt; tu riſui affinia ſubſtitues, dic: *jocari*, *ludere*, *geſtire*, *hilaritate diffluere*, *&c.* expende ridentis hominis adjuncta, antecedentia, conſequentia, &c. aut, hujus imitatione, alias hominis affectiones pratis aſſigna, ut: *mœrere*, *iraſci*, *amare*, *invidere*, *miſereri*, *&c. prata benefica*, *grata*, *laſciva*, *temperantia*, *&c. agros pictores*, *textores*, *&c. concipere*, *gignere*, *adoleſcere*, *feneſcere*; & alia, quæ ſunt hominum propria: en ut una Metaphora multas pariat!

LXXXIX.

Metaphoræ hyperbolicæ Poetis propriæ ſingularem Elegantiam habent, maxime in liberiori Poemate, ut Satyrico, Lyrico: cave autem, ne modum excedas, in tumorem, & ridiculum deſinas.

XC.

Erit item venuſtior, ſi Hypotypoſin, reique vivacem velut in tabella picturam exprimat; ſuntque adjuncta quædam, quæ vim miram uno ſæpe verbulo includunt, præſertim in deſcriptionibus locorum, temporum, rerum. Atque de Metaphoræ excutiendæ ſubſidiis hactenus.

XCI.

Uti Metaphora exornandæ, ita Synecdoche variandæ Orationi plurimum confert; ut quum primo partem pro toto ſubſtituit, hactenus non uſitatam: *tectum pro domo* vulgare eſt; tu *laquearia*, *ſugrundia*, *fornices*, aptis ad rem ſignificandam epithetis additis, ſuffice: *temo pro curru* adhibetur paſſim; tu *axem*, *radios*, *&c.* pro *navi non puppim*, *&* *carinam*, familiares partes; ſed *malum*, *carcheſia*, *antennas* utere: idem in aliis integralibus totis obſervandum.

XCII.

Secundo ſpeciem pro genere ſumere uſitatiſſimum Poetis; ſic nationum, fluminum, marium, animalium, plantarum nominibus ſingularia ſub his contenta elegantiora ſunt. Tertio in artefactis omnibus materia pro re materiata pulcre ſumitur; ut *pro atramento vitriolum*; *pro vitro farina ſilicea fagi medullæ incocta*. Idem de Metonymia ſentias.

XCIII.

Periphraſis pro re effectum, proprietates, adjuncta, perſonarum facta ſubſtituit: res nulla eſt, quæ per hunc Tropum non diverſiſſimis modis exponi queat; quare præ reliquis ampliſſimi uſus eſt; cujus Paradigmata videre apud P. DeKennium potes.

XCIV.

Helleniſmus inſigne eſt Poematis ornamentum, Horatio adeo familiare, ut, hoc detracto, nudus fere ſit: hujus modos diverſos quære apud Balbinum; Idiotiſmi vero exempla apud eumdem DeKennium. Neque inutile fuerit, præſertim Tironi, Flaviſſas, Regiam Parnaſſi, &c. crebro pervolvere, indeque Poeticæ Eloquentiæ quemdam ſaporem venari.

CAPUT IV.

De Poeſi Drammatica, & primum de Drammatis Inventione.

APHORISMUS XCV.

HUjus Poeſeos duplex eſt Inventio: Argumenti, & Implexionis; neque enim pura Fabula, nulloque Hiſtorico argumento nixa probatur; niſi forte Parabolam Evangelicam, aut veteris Poeſeos fictam actionem in ſcenam dare libeat.

XCVI.

Qui gentium, temporumque omnium Hiſtoriam percurrerit, huic in argumento Hiſtorico reperiundo minimum erit operæ; aliis minus peritis ad Hiſtoriarum Compilatores, quorum ingens numerus, confugiendum eſt: vetera recentio-

rioribus, peregrina domeſticis tutius exhibentur.

XCVII.

Præhabenda ſunt Sacra profanis, & quæ ad pietatem faciunt ridiculis: Drama rite conceptum, rite exhibitum magnas ſæpe excivit animorum converſiones, perturbationem, lacrymas.

XCVIII.

Hiſtoriæ Biblicæ plurimum habent dignitatis, quarum ſyllabum conficere non inutile fuerit: Romana, & Græca Hiſtoria quantam ſilvam aperit! quin obvium ſæpe, & ante oculos omnium poſitum, ideoque neglectum thema hoc ipſo jucundius eſt.

XCIX.

Ecquid vetet veterum Tragœdorum Euripidis, Sophoclis, Senecæ Tragœdias in noſtrum morem conformare? licebit item ex Italico, Gallico, Hiſpanico in Latinum transferre; quod Terentius, & Plautus & licitum, & laudi ſibi duxere; certe Avancinus Jeſuita Italicæ Poeſi multum debet.

C.

In delectu Actionis ſeu Comicæ, ſeu Tragicæ obſervanda ſunt duo: primum ut ſit una, non equidem unitate temporis, ut ſi aliud in Polonia, in Perſia aliud; ſed die eadem geſtum efferas. Neque unitate perſonæ ſolum, ut ſi eumdem

& adoleſcentem, & virum, & ſenem exhibeas, quod tamen Majoribus noſtris mire placuit; ſed ſit Actio ejuſmodi, ad quam ſecundariæ omnes, ut partes ad totum, membra ad corpus ſuum, referantur.

CI.

Excluduntur hac regula Actiones diſparatæ, ad eumdem finem non tendentes, atque omnino extra rem poſitæ; in quem ſcopulum ii fere incurrunt, qui vel alienæ Inventionis Implexionem ita depereunt, ut vel reluctantem ſuo argumento coaptent; vel qui ſcenam quamvis ſpectaculo aliquo, aut Mimo, aut Melodia, aut re alia, quæ admirationem cieat, infercire gaudent.

CII.

Non item excluduntur Epiſodia, quæ tamen & pauca, & brevia, & cum actione principali connexa eſſe convenit: horum numero præcipue veniunt Narrationes rerum, quæ diu præceſſere, & quarum cognitio neceſſaria, & quæ in ſcenam produci non poſſunt; uti ſunt primæ cauſſæ odiorum, amorum, ſuſpicionum, &c.

CIII.

Illud univerſim curandum, ut in toto opere nihil redundet, nihil quod aut ad turbarum ſemina, aut proſecutionem, aut ſolutionem non faciat; ut adeo quæ

prius

prius ſuperflua, nihilque ad rem facientia videbantur, ad extremum fines ſuos, & uſum habuiſſe conſtet.

CIV.

Altera Actionis proprietas eſt juſta magnitudo, ſeu temporis, intra quod geri potuit, definitio: vulgo viginti quatuor horæ adſignantur, id quod a Græcis, & Latinis Veteribus religioſe obſervatur; etſi Majores noſtri præcepti hujus parum memores, multique hodie ſint, qui limitibus tam anguſtis includi dedignentur; ſtandum tamen eſt utiliſſimæ regulæ, tum quod in tempus tantillum minus Implexionum compingi queat, atque inde res clarior, & naturalior evadat; tum quod præcedentia per Poeticum Epiſodium ſatis commode poſſint explicari; denique ut ne mechanice, ſed ſecundum Artem tot ſæculorum, ac ſapientum Virorum obſervationibus collectam, neque umquam fallentem Dramma elaboretur.

CV.

Delecta in has leges Actione, ſeu Drammatis Argumento Hiſtorico, plurimum laboris eſt in Implexione, per quam unice ab Hiſtoria ſecernitur Fabula; in qua laus maxima, & opera Poetæ verſatur. Conſtat hæc vel *Agnitione*, vel *Peripetia*.

CVI.

Agnitio inopinata plurimum ſuavitatis

habet, & elegantiæ, eademque Plautinæ omnes, & Terentianæ maxime commendantur: agnoſcuntur porro, qui vel a Pyratis ſurrepti, aut pueri in turba ammiſſi, ab Judæis, vel Turcis educati, ab hoſtibus in captivitatem abducti, aut peſte, prælio, naufragio interiiſſe crediti, aut expoſiti infantes, aut deceptæ matri ſubſtituti, aut qui peregre abeſſe, quum domi ſint, aut falſo nuncio ſepulti habebantur; aut ii, qui, vel metu, vel amore, aut finibus aliis, veſtem, perſonam, capillicium mutant, mores alienos de induſtria aſſimulant, aut præſtigiis, artibuſque aliis alii videntur, aut vultus ſimilitudine fallunt.

CVII.

Perficitur Agnitio e variis ſignis, queis detegatur ignotus; ut vulgo cicatrices, enſes, annuli, bullæ, literæ, character, nomen arboris cortici, aut lapidi inciſum, rerum intimarum, ac domeſticarum notitia, Numen quoddam, & animorum, ſeu ſanguinis ſympathia, vaticinia, oracula, &c.

CVIII.

Peripetia, hoc eſt fortunæ inclinatio ſeu ex adverſa in proſperam, aut viciſſim, fere fit inimicorum inſidiis, mendaciis, delationibus falſis, ingeſtis ſuſpicionibus, actionibus quibuſdam adiaphoris, in ſuſpicionis confirmationem mali-

gne detortis, literis interceptis, aut alio argumento artificioſe conſcriptis; fictis amicis, adulatione, doliſque aliis, inamicitiam irrepentibus, ac dein in prava conſilia impellentibus, æmulatione gloriæ, aut muneris, ſuperbia, opibuſque nimiis, quæ odium creant, contemptu Principis aliquo, aut ejus ſecreto improvide evulgato, maleficio, aut beneficio in ignotum collato, & quæ ſunt hujuſcemodi plurima, ex Auctoribus omnis generis diligenter excerpenda.

CIX.

Ad faciliorem Implexionis Inventionem facit, ſi ipſum Fabulæ thema Hiſtoricum, Agnitionem, aut Peripetiam ſubminiſtrans deligatur: erit autem tum circumſtantiis ſuis, ac veroſimilitudine conveſtiendum, ne Hiſtoria potius, quam Fabula videatur.

CX.

Vitæ Sanctorum, aliorumque Virorum illuſtrium Errores plurimos, & eventuum varietatem miram indicant: hos imitari libeat; primas namque partes ſibi hic imitatio vindicat, ejuſque ope, pulcherrima, ſine furti flagitio, effici poſſunt: quod ſi tempore urgeris, Synopſin obviam notæ, & Implexionis melioris, ſimul Hiſtoriam ſimilem conquire, & rem egeris: ita Steffonii Criſpus Euripidis, & Senecæ Hyppolito plane geminus eſt.

CXI.

Multam item Errorum ſupellectilem Romanæ, quas vocant, Fabellæ, modo ne inverecundæ ſint, ſubminiſtrant; item Strategemata Vegetii militaria, facetæ ſurunculorum Hiſtoriæ, ac hujus farinæ libelli, qui etiam vernaculo ſermone paſſim proſtant.

CXII.

Monendus tamen iterato es, ut ne oſtentationis, laudiſque ſtudio abreptus, nimiis Erroribus rem ita implices, ut nec ſine grandi ſtudio intelligi poſſit Synopſis, neque e labyrintho hac exitus ullus pateat: nihil *decoro*, ac *veroſimilitudini*, duabus præcipuis Fabulæ dotibus, magis repugnat, aut ſcholam olet, quam tanta eventuum varietas in unum diem compacta.

CXIII.

Fictæ, & Poeticæ Perſonæ extra Choros raro adhibeantur; quidquid enim per Voluptatem, Ambitionem, Hæreſin, Triſtitiam, &c. fieri poteſt, id per hominem triſtem, hæreticum, ambitioſum, voluptuarium, &c. ſuis apte nominibus ornatos, commodius expedies.

CA-

CAPUT V.

De Diſpoſitione Drammatis.

APHORISMUS CXIV.

DRamma partes alias *qualitatis*, alias *quantitatis* habet, etſi aliter alii dividunt. Qualitatis partes præcipuæ ſunt quatuor: (Prologum ad Choros rejicimus, & Epilogum.) *Protaſis*, *Epitaſis*, *Cataſtaſis*, *Cataſtrophe*; ſeu, ſi latine dicimus, *Propoſitio*, *Proſecutio*, *Conſtitutio*, *Converſio*.

CXV.

Protaſis, ſeu Propoſitio, ſummam rei proponit, ſeminaque Errorum jacit, ſine declaratione exitus, ut ſuſpenſus ad finem retineatur Spectator, eſtque veluti fundamentum Implexionis, & naturalis in Fabulam ingreſſus: occupat primum Actum, & quandoque ad ſecundum protenditur.

CXVI.

Epitaſis, ſeu Proſecutio, cœptorum telam Errorum proſequitur; jacta ſemina maturat; intendit; auget; omnia magis implexa reddit: occupatque fere ſecundum, & tertium Actum; ſubinde etiam ad quartum pertinet.

CXVII.

Cataſtaſis, ſeu Conſtitutio, ſic dicta eſt, quod in ea vigor omnis, & ſtatus Fabulæ, velut in apice, ſummaque perturbatione conſiſtat; incertumque relinquat, quo demum res ſit eruptura: occupat quartum Actum, ſubinde & quinti partem; neque enim in tanta argumentorum varietate limites certi conſtitui poſſunt: audendum ſæpe eſt libero Poetæ.

CXVIII.

Cataſtrophe, ſeu Converſio, idem eſt, ac ſubita, & inexpectata rerum mutatio; quæ fit vel Agnitione, vel evoluto inſidiarum, machinationum, artium ordine, aut interveniente de Cælis Deo: quintum Actum vulgo conſtituit.

CXIX.

Diſpiciendum diligenter eſt, quid ad quam partem commodiſſime referatur; in quam rem multum juverit Veterum, aut Recentiorum Analyſes marte ſuo confeciſſe: certe qui Artem ſequitur, & methodum, Dramma & elegantius, & perſpicuum, ac naturale magis, laboreque minore, fabricaverit: qui de via aberrant, digni ſunt, qui ſe macerent, nec laudentur.

CXX.

Actus porro Drammatis pars eſt, in qua Actores omnes ſcena excedunt, quem-

quemque Chorus ad refocillandos Spectatores ſubſequitur. Ex Horatii præcepto, & Veterum exemplis: *Nec brevior quinto, nec ſit productior Actu Fabula.* Itali tres ſubinde adhibent, quos nullo Artis diſpendio, præſertim ſi brevitati ſtudendum ſit, imitaberis.

CXXI.

Pars Actus Scena eſt; in qua tres fere Interlocutores, jam unus quis, jam alius interveniat; auſcultet alter, aut intra ſcenam loquatur; accedat; recedat; alter excipiat alterum, ne umquam theatrum vacet omnino.

CXXII.

Veterum Tragœdiarum Actus ſæpe Scena unica finiebantur, quod & Recentioribus uſurpatum videas: qui longas nimium, aut multas Scenas partiuntur; vel impertinentia multa contra unitatem Fabulæ adferent, vel Erroribus nimiis naturalitatem, ac perſpicuitatem perdent.

CXXIII.

In Scenis dividundis hæc quoque obſervanda: 1. Ut ne Perſona eadem nimis diu in theatro retineatur. 2. Ut interius ſiparium ante, & poſt Chorum occluſum ſervetur, & obductum; ut admoveri machinæ tempore poſſint, & removeri. 3. Ut Choreæ, Mimi ex re ipſa educantur. 4. Nihil verbo differatur, ſed totius deſignatio operis tam accurata

fiat, ut ei nihil additum iri certo conſtitutum habeatur.

CXXIV.

Rem itaque hac fere methodo aggredieris. 1. Protagoniſtæ factionem ſuam, amicos, ſubſidia; Antagoniſtæ ſuos item deſignabis; apta iiſdem, talique genti, ac ſæculo uſitata nomina indes. 2. Qua actionis parte occipiendum, quid per modum Epiſodii, aut per Nuncium, & quo loco enarrandum. 3. Qui turbarum hæc initia promovenda, adverſæ machinationes elidendæ, diſpicies: atque hæc Protaſin, & Epitaſin, primoſque tres Actus facient. 4. Quinam Fabulæ apex, ſeu ubi Implexio in ſummo, ac quomodo ſine machina ſolvenda, conſiderabis: quæ Cataſtaſin, & Cataſtrophen, & poſtremos duos Actus implebunt. Vide Beliſarium Nicolai Avancini Jeſuitæ, in quo tamen Errorum multiplicitatem non probo; niſi fors Tironi Ideam, ac ſupellectilem variam ſufficere voluit.

CXXV.

In Synopſi, ſeu Periocha, conſcribenda obſerva 1. Ut titulus ſit gravis, ſimplex; non affectatus, ex Allegoria, vel Antitheſi conflatus; ſi v. g. *Criſpus Tragœdia*, inſcribas, abunde ſit: locus nominandus, in quo Actio datur, id quod peritiores non omittunt: in ipſa fronte præcipuarum Perſonarum nomina recen-

ſen-

ſenda: Argumentum ipſum ſit verbis quam clariſſimis conceptum; Idiotiſmus item ſimplex, plebiſque ac feminarum etiam captui accommodatus, quam inepte fucatus, & ſublimis: in Spectatores Periocha diſpertiatur, qui mos, in Germania præſertim, ſancte obſervatur, & utilis omnino eſt ad attentionem Spectatorum aucupandam.

CAPUT VI.

De Elocutione Drammatica.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

APHORISMUS CXXVI.

PErfecta Periocha diligenter conſiderabit Auctor, in qua Scena plus affectus, & ſucci; ubi immorandum; quæ levi calamo tranſilienda; quo pacto operis moles moderanda: qui Prologum, Epilogum, Choros tres, ut fere nunc mos obtinuit, adhibuerit; ei verſus ſexcentos, ſummum octingentos vix excedere licebit; niſi laudem operis velit prolixitate corrumpere.

CXXVII.

Tragœdia verſu fere Jambico ſcribitur, ſtilo gravi, affectibus vehementibus, ſapientibus gnomis elato; cujus optimum exemplar Seneca. Comœdia Jambico pangitur item, vel Terentiano; in cujus pe-

dibus reperiundis multi actum egere; adeo varium, liberum, & effluens eſt: ſtilus vero humilis, planus, nitide latinus eſto; qui tamen ad riſum ciendum Archaiſmos ſubinde, aut etiam Idiotiſmos habeat.

CXXVIII.

Scribenti opera danda eſt, ut τὸ πρέπον, ſeu ſacrum illud *decorum* exacte ſervet; advertatque, quæ Servum, Herum, Nutricem, Nuncium, Pædagogum; quæ contra Heroem, Militem, Mercatorem, &c. Oratio, ſententia, affectus, ſimilitudines deceant: præ primis ut in Cataſtrophe affectum ita moderetur, qui nec prolixior juſto ſit, nec ſiccior. Ad combibendum Tragœdiæ ſtilum Græcos præ primis, Euripidem, Sophoclem, Æſchylum, Tragœdorum Principes, at in fonte, pervolves.

CAPUT VII.

De Prologo, Choris, Epilogo.

APHORISMUS CXXIX.

HÆc, de quibus hactenus, corpus ipſum ſunt, ac ſubſtantia Drammatis; acceſſoria vero Prologus, Chori, Epilogus, &c. Illud in primis adnotandum: graviter peccare illos, qui, ſub-

ſtan-

ſtantiæ totis animis intenti, acceſſoria negligentius procurant; gravius eos, qui, in acceſſoriis penitus defixi, ſumma negligunt: qui plauſum ferre velit, huic minima perinde, atque maxima accuranda ſunt: nœvus ſæpe unicus totum corpus deformat, licet polita, & cohærentia membra ſint cetera.

CXXX.

Chori argumentum ex re ipſa deſumi debet: dolet aliquando; conſolatur; præſagit; admonet; ſperat; dubitat; ac *docet* in primis, & *indicat*: docet quidem, aptam argumento doctrinam adferendo; indicat, dum Fabulæ thema ſub ſchemate aliquo ſignificat.

CXXXI.

Chori nunc fere allegorici ſunt, ſymbolici, aut fabuloſi; ut, ſi docere velis Ambitionem caſui vicinam, Icari fabulam ſpectandam des, &c. Perſonæ plerumque fictæ adhibentur, ut Ambitio, Veritas, Calumnia, &c.

CXXXII.

Deligendæ ſunt Allegoriæ, Fabulæ, Symbola ejuſmodi, quæ machinis, ſpectaculiſque grandioribus occaſionem præbeant; in Choris namque, ut in loco ſuo, expromenda ſunt omnia, quæ admirationem, voluptatemque Spectatoribus præbeant.

CXXXIII.

Prologi, & Epilogi ratio eadem eſt ; niſi in hoc Mæcenati gratiæ habendæ ; ejus arma gentilitia apparatu aliquo ornanda, &c. Prologus, qui exordii vicem habet, ad præparandos animos, ciendamque aviditatem, plurimum habeat ſplendoris. Epilogi vicem ſubinde Chorea agit; niſi ex abrupto deſinere malis.

CXXXIV.

Carminum genus apud Veteres varium erat: hodie Italicum, ut Muſicis modis accommodatius, in uſu eſt: conſtat illud Recitativo ſtilo, & Arioſo.(ita cum iis loquendum.) Illud nec numero, nec genere pedum certo conſtringitur, modo utcumque in rythmum deſinat; cetera liberum, & inæquale: Chori partem majorem occupat.

CXXXV.

Aria, quam Oden Monoſtropham appellare poſſumus, quum ſingulare quid adferendum eſt, adhibetur; metro conſtat vario, verſibus quaternis, ſenis, ſummum octonis: quo brevior, tanto eſt laudatior. Secundo, quum bipartita ſit, pars prima perfectum ſenſum habeat; quum, pro hodiernæ Muſicæ ratione, repetatur, in eamque deſinatur. Tertio, ſi utraque pars monoſyllabo terminetur, modulatior evadet.

CXXXVI.

Interdum, Prologi, vel Chori loco, *Scenæ mutæ*, totius *Actus* ſynopſin referentes, adhibentur non ſine gratia; atque interim ſymphonia aliqua accinitur.

CAPUT VIII.

De Declamationibus, ſeu Academiis.

APHORISMUS CXXXVII.

VAria Eruditione prædito Declamationum, ſeu, ut nos Itali vocamus, Academiarum themata deeſſe neutiquam poſſunt; quorum inveniendorum rationes permultas Patres Juvencius, & Balbinus Jeſuitæ, ac plures alii tradidere: juvabit tamen eadem, paullum alia methodo, ac forſan auctiore, perſequi.

CXXXVIII.

Quum e divinis, humaniſque rebus nihil ſit, quod in ſcholaſtico ejuſmodi Drammate non commode exhiberi poſſit; Inventionem ejus omnem ad ſingularum Scientiarum objecta revocamus; unde copia ingens, & delectus exiſtet.

CXXXIX.

Theologia, ac præſertim Polemica modernas Hæreſes cum antiquis componet; in Hæreſiarchas, Philippicas declamabit; Religionem preſſam, reſurgentem, trium-

phan-

phantem; Principum Virorum converſiones, propagatam rem Chriſtianam; Clariſſimos Fidei Defenſores commendabit; Caput aliquod erroneum inſectabitur, &c.

CXL.

Ex Theologia Aſcetica Parabolas Evangelicas accipies: huc ſpectant, quæ de Feſtis Domini Naſcentis, Patientis, Reſurgentis, &c. fiunt. Cave, ne vulgares ſint, nihilque novitatis habeant: figuratæ placent, quarum nempe Protaſis Fabulam, aut Hiſtoriam cum idonea Apodoſi contineat. Notæ Sabini in Metamorphoſin, uti & Huetii Demonſtratio Evangelica plura ſuggerent.

CXLI.

Philoſophia Moralis affectionum omnium Geneſim, Actiones, Naturam, Ariſtotele duce, tractat. Vitia ſatyricę perſtringes: catalogum Virtutum percurre; unam cum altera committe. Huc accedunt Quæſtiones Politicæ de forma Reginis, rebellionum cauſſis, &c. Item OEconomica, quæ non ſine voluptate ſpectantur: ſelectiorum gnomarum, & adagiorum quælibet, præſertim ſi Inductionem contineant, Drammation componunt.

CXLII.

Philoſophia Naturalis nihilo minus fecunda eſt; in homine animi vires, &

cor-

corporis conſiderat: in animalium Regno nullum eſt, quod apparatu aliquo aut Poetico, aut Rhetorico exornari non poſſit. Canis, Elephas, Equus de ingenii laude certabunt; Americana cum Europæis, &c. Lacuum, fluviorum, montium, &c. miranda quantam penum miniſtrant facili ingenio, & verſatili!

CXLIII.

Mathematica Kalendaria Poetica, Prognoſtica futuri anni, Tubos opticos, queis Antipodes, aut hominum corda inſpiciantur, conficit; nova aſtra Cælo inſerit, vetera deturbat; Muſicam Arithmeticæ filiam facit; Tychonis cum Copernico bellum canit; per aſtra iter extaticum inſtituit, &c.

CXLIV.

Jurisprudentia, veteris Declamationis materia unica, quæſtiones implexas agitabat; leges in ſpeciem pugnantes multo acumine conciliabat: tibi quoque licebit faciliores quæſtiones e Foro traducere in Scholam; novas leges condere; Turcarum breve Forum laudare, & exhibere; Juſtiniani honores Galeni opibus præferre; fictos omnis generis reos exagitare, &c.

CXLV.

Medica herbarum, plantarum virtutes excutit: Juniperi grana, Abſynthium, Betonicam, &c. extollit, & cauſſam Poe-

ticam adſignat; Acidi, & AlKali dominatum tuetur: Botanicos cum Empiricis committes; modum tuendi Valetudinem docebis: The, Caphe, Tabacum laudabis, vel deteſtabere: Allegorice Poeticam venam ſecabis; Cerebri, aut Ciceronianæ linguæ Anatomiam inſtitues; ſauciam Idiotiſmis Latinitatem emplaſtris Hadriani fovebis, &c.

CXLVI.

Hiſtoria Sacra multis virtutum exemplis ſcatet: nihil eſt Hiſtoriolis Gazæi lepidius; nulla, quæ non devoto riſu perfundat ſpectantem.

Civilis mare magnum eſt, de quo ſemper haurias: de rebus maximis cum Cyro, Hannibale, Auguſto, &c. conſilia miſcet, deliberat; gentes omnes pervagatur.

Ritus Romani, Græci, funerum, nuptiarum, &c. Fabellas Æſopicas miror ab nemine in thema aſſumi: oblectarent certe, & docerent. Idem de Poeticis judicium eſto.

CXLVII.

Geographia variarum gentium ſtudia; Fluviorum, Urbium, Marium, quatuor Orbis Partium, utriuſque Zonæ encomia, certamina; gentium migrationes; Columbi, Veſpucii, Xaverii celeberrima itinera tractat; Imperium Turcicum inter Chriſtianos Principes dividit; Chriſtia-

ſtianæ Religionis fines in Mappa demonſtrat, &c.

CXLVIII.

Rhetorica, *Poetica*, *Grammatica* ſua Præcepta, didactico carmine, cum apparatu tamen aliquo, utiliter divendunt; Concionandi, Tragœdiæ, Elegiæ Artem exponunt; ſtili genera inter ſe comparant; floculentos, barbaros, ſiccos, parenthyrſos irrident; quatuor Latinitatis hoſtes devincunt; characteres Poetarum, & Oratorum ſub ſchemate convivii, haſtiludii, &c. repræſentant.

CXLIX.

Haud paullo plus difficultatis forma, ſeu deducendæ Inventionis ratio adfert: plurimum Poeſis, & ingenii fertilitas quædam, ſeu luxuries confert. Aliæ aut Oratione, aut Poemate, aut Dialogo ſimplice conſtant; aliæ Symbolicæ, Hiſtoricæ aliæ ritum quemdam, aut cerimoniam, aut actionem humanam exhibent. Inductio & pulcherrima, & expeditiſſima eſt, petiturque ex iiſdem, quibus Diviſio Oratoria, fontibus. Addo paucula quædam obſervanda.

C L.

Primum Prologus diſerte, ſimpliciter explicet; quid ſibi Declamatio velit; quas Partes, quas Perſonas veras, aut fictas habeat, inculcet; aut præfigatur Titulus, aut Periocha brevicula in Spectatores divi-

vidatur. Apparatus item aliquis, aut ingenioſi ſales, aut veſtis exotica pro condimentis adhibeantur.

CLI.

Deinde monitum Juvencii admodum prudens notandum eſt, & executioni dandum: ut ea videlicet aſſumantur argumenta, quorum ſit aliquis in vita uſus; non inania quædam, & nullius frugis; ut ſunt Verbales, Artiſticæ, & ejuſmodi luſus putidiſſimi. Quis etiam vetet, Argumentum per plures Declamationes continuari, indeque Opuſculum confici, in lucem publicam emittendum?

LIBER TERTIUS.

De Re Rhetorica.

CAPUT I.

De Oratione Univerſim.

§. I.

De Inventione.

APHORISMUS CLII.

THema propoſitum ex ultimis, intimiſque cauſſis ita probare contende, ut non ante acquieſcas, quam intellectui tuo ita ſatisfacias, ut nihil ultra objici poſſe videatur. Ea propter nuſquam Confutationem omittes: hac quidem in parte idem eſt Rhetoris, & Dialectici officium; idem argumentandi, ſuas concluſiones firmandi, objecta diluendi rigor.

CLIII.

Nec primaria ſolum capita, ſed propoſitiones omnes, ad principis argumenti confirmationem aſſumptas, religione eadem, ac firmitate ſtabilies: quare, ſi certa argumenta deſint, ea aſſumes, quæ probabilitatis habeant plurimum; nec in-

da-

dagare deſines, dum rem, uti dicis, ita ſe habere & animo ſentias, & veluti manibus contrectes.

CLIV.

Convicium faciunt Rhetoricæ, qui ſpecioſe, futiliter, ſine nervis multa declamantem, Concionatorio, aut Rhetorico more loqui ajunt: itaque ſimilibus adeo temperate uteris, ut illa, non tam pro firmamento, quam ornamento cauſſæ, abs te adhibita ſentiat prudens Auditor.

CLV.

Atque hæc veluti Oſſatura eſt Orationis; cui ſi Amplificationis veſtis, ac lumina accedant, obluctari nemo poſſit: contra ſine hoc rationum pondere fluctuans, inanis, jejuna evadit Oratio, Æſopicæ larvæ ſimilis, ſpecioſæ quidem, ſed ſine cerebro.

CLVI.

Rationum momenta præcipue ex ingenii, & naturalis Dialecticæ fontibus petenda ſunt: his, veluti ſponte, ac nativo in ſolo enatis, plurimum fere ſoliditatis ineſt: ſubtiliora illa ad oblectationem, quam victoriam, ſunt accommodatiora.

CLVII.

Quoniam hi fontes reconditi admodum, nec in propatulo ſunt; diuturna, accurata, multiplici meditatione perveſti-

ſtigandi ſunt: non enim ſine grandi opera in intima, uti terræ, ita rerum viſcera pervaditur.

CLVIII.

Ingenii penum poſtquam exhauſeris; e Philoſophia vera, Theologia, Hiſtoria, &c. ſubſidia petes; colores item Rhetoricos habebis in promptu; operam denique dabis, ut e multiplici argumentorum congerie copioſa reddatur, & pugnax Oratio; & ita, ut argumentis vel in Dialectica pugna, & Scholaſtico rigore tuendis te parem exiſtimes.

CLIX.

Denique alte animo defigendum eſt illud Poetæ, etſi alio ſenſu dictum: *rem, rem, quocumque modo rem*. Contra ac hodie fit ab aliquibus, qui verba pro rebus vendunt; in verba toti difluunt; in verba vaneſcunt.

CLX.

Præter argumenta, cum ex ingenii, tum ex Scientiarum fontibus hauſta, *Exemplum*, uti Rhetori proprium, recte ab Ariſtotele ſtatuitur: eſt ejus uſus in Logica nullus; in Oratoria ampliſſimus, neque umquam negligendus.

CLXI.

Quod argumenti expoſitionem ſpectat, ex ejuſdem Ariſtotelis præcepto, *Enthymema*, propria Rhetoris Argumentatio eſt; quia major ſyllogiſmi & nota eſt

plerumque, & locum communem continet, in quo Orator nonniſi modice; neque ad probandum, niſi in re obſcura, aut ad amplificandum, aut in Exordio, aut paucis immoretur.

§. II.

De Amplificatione.

APHORISMUS CLXII.

DUabus præcipue rebus in errorem inducimur: intellectu falſis rationibus decepto; voluntate affectibus perturbata.

CLXIII.

Affectus boni præſentis ſpecie præprimis, ac vehementiſſime accenduntur: Ratio quoque tum ipſa hac ſpecie, tum affectuum pondere oppreſſa, tranſverſum agitur. Bonum porro, imaginationis fere vi, rationi, ac voluntati præſens ſiſtitur; quod ſi bonum reipſa ſit præſens, multiplicium imaginum impreſſione utramque mirifice perturbat.

CLXIV.

Rationis erroribus Dialectica medetur; affectuum vim Ethica refrenat; imaginationem vero Rhetorica corrigit: quare ab Ariſtotele inter hanc, & illam incedere media dicitur.

CLXV.

CLXV.

Imaginatio Amplificatione unice expugnatur; eſtque adeo propria Rhetoricæ, ut hac una præcipuum ſuum munus exequatur. Quod vulgo dicitur: *Virtutem, ſi oculis cerneretur, ingentes concitaturam animorum motus*; hoc Amplificatione nimirum præſtandum eſt; cujus uſus, laus, virtus in hoc demum ſiſtit: argumenta, apta ad implendam imaginibus phantaſiam, Oratione ampliora reddere; bonum remotum, multiplici verborum, ac figurarum apparatu, veluti præſens conſtituere.

CLXVI.

Qui phantaſia vivaci, ac fixa fuerint, Rhetoricæ ſunt aptiores; quod iſta cum Poetice, quæ una fere imaginatione perficitur, commune habet. Acuitur phantaſia ſeu accerſitis, ſeu inſitis affectibus rerum grandium, horridarum; ut naufragii, deſertæ ſolitudinis, &c. firmo intuitu, aut acriori penſitatione.

CLXVII.

Itaque *Amplificatio* paſſim *Orationis Anima* dicitur; qua una vivit ſcilicet, & vincit Orator; ſine qua in Stoicam, ac Dialecticam tenuitatem exareſcens, inſanus ſit, ſi clamores, aut victoriam ſperet.

CLXVIII.

Si de eadem re dicendum foret ad di-

verſos; iiſdem quidem argumentis, ſed alia, atque alia Amplificatione eſſet utendum: nam, ut aliorum phantaſia rebus, ac imaginibus aliis magis feritur, & occupatur; ita in ſingulorum ingenium ſe fingere debet Orator, ut ſit *Orpheus in ſilvis, inter Delphinas Arion*.

CLXIX.

Uti idonea Amplificatio ſola, & maxima Oratoris laus eſt, ita nihil putidius, ſi ea puerilis ſit, & inani verborum tumore diſtendat potius, quam impleat Orationem: a dilatatione namque tantumdem diſtat, ac qualitas a quantitate; aut magnum à bono ſimul, ac magno.

CLXX.

Conficitur per argumentationem, quæ rem eamdem figuris, & ſententiis aliis, fuſiore, juſtæ tamen commorationis, Oratione exponit; eſtque tardæ, rudique plebeculæ accommodatior.

CLXXI.

Nobilior, & politis auribus aptior eſt Exaggeratio, quæ rem eamdem Epithetorum gravius ſonantium, & Adjunctorum ponderibus, pauculis ſæpe verbis, in magnitudinem inſignem extollit. Pervagatur quidem omnes Orationis partes: res tamen exiles, & natura tenues amplificare ludicrum eſt. Quoniam autem loci communes fere Amplificationem

faciunt, horum promptuarium ad manum habere, aut ſuo marte confeciſſe juvat: iis tamen delectu, ac temperantia maxima utendum exiſtimes.

CLXXII.

Fontes Amplificationis vulgo aſſignantur e Rhetoricis locis, *Definitiones conglobatæ*, *Conſequentium frequentatio*, *Contrariarum*, *& diſſimilium rerum conflictio*, *Cauſſæ*, *& Effecta*, *partium Enumeratio*, & præcipue *Adjuncta*. Miſcetur Amplificatio figuris nobilioribus, nempe: *Hypotypoſi*, *Proſopopæja*, *Exclamatione*, *Apoſtrophe*, *Interrogatione*, *Obſecratione*, *Optatione*, *Imprecatione*.

CLXXIII.

Quatuor fere modis fit: per *Congeriem*, *Incrementum*, *Ratiocinationem*, *Comparationem*; id quod ex P. Martino Du Cygne Jeſuita plenius diſcere poteris: atque Aphoriſmis hiſce univerſa de Amplificatione doctrina continetur.

§. III.

De Affectibus.

APHORISMUS CLXXIV.

QUi vehementiore imaginationis vi pollet Orator, & ipſe afficitur; & audientem afficit vivacius.

verſos; iiſdem quidem argumentis, ſed alia, atque alia Amplificatione eſſet utendum: nam, ut aliorum phantaſia rebus, ac imaginibus aliis magis feritur, & occupatur; ita in ſingulorum ingenium ſe fingere debet Orator, ut ſit *Orpheus in ſilvis, inter Delphinas Arion*.

CLXIX.

Uti idonea Amplificatio ſola, & maxima Oratoris laus eſt, ita nihil putidius, ſi ea puerilis ſit, & inani verborum tumore diſtendat potius, quam impleat Orationem: a dilatatione namque tantumdem diſtat, ac qualitas a quantitate; aut magnum a bono ſimul, ac magno.

CLXX.

Conficitur per argumentationem, quæ rem eamdem figuris, & ſententiis aliis, fuſiore, juſtæ tamen commorationis, Oratione exponit; eſtque tardæ, rudique plebeculæ accommodatior.

CLXXI.

Nobilior, & politis auribus aptior eſt Exaggeratio, quæ rem eamdem Epithetorum gravius ſonantium, & Adjunctorum ponderibus, pauculis ſæpe verbis, in magnitudinem inſignem extollit. Pervagatur quidem omnes Orationis partes: res tamen exiles, & natura tenues amplificare ludicrum eſt. Quoniam autem loci communes fere Amplificationem

fa-

faciunt, horum promptuarium ad manum habere, aut ſuo marte confeciſſe juvat: iis tamen delectu, ac temperantia maxima utendum exiſtimes.

CLXXII.

Fontes Amplificationis vulgo aſſignantur e Rhetoricis locis, *Definitiones conglobatæ*, *Conſequentium frequentatio*, *Contrariarum, & diſſimilium rerum conflictio*, *Cauſſæ*, & *Effecta*, *partium Enumeratio*, & præcipue *Adjuncta*. Miſcetur Amplificatio figuris nobilioribus, nempe: *Hypotypoſi*, *Proſopopœja*, *Exclamatione*, *Apoſtrophe*, *Interrogatione*, *Obſecratione*, *Optatione*, *Imprecatione*.

CLXXIII.

Quatuor fere modis fit: per *Congeriem*, *Incrementum*, *Ratiocinationem*, *Comparationem*; id quod ex P. Martino Du Cygne Jeſuita plenius diſcere poteris: atque Aphoriſmis hiſce univerſa de Amplificatione doctrina continetur.

§. III.

De Affectibus.

APHORISMUS CLXXIV.

QUi vehementiore imaginationis vi pollet Orator, & ipſe afficitur; & audientem afficit vivacius.

CLXXV.

Ex argumentorum, & Amplificationis pondere ſponte, iidemque validiſſimi, enaſcuntur affectus; convicti namque animi in quamvis partem levi momento flectuntur, ac veluti injecto rationum freno circumaguntur.

CLXXVI.

Verboſus, & ſtentoreæ vocis Orator, etſi in ſumma rerum jejunitate, affectus commovebit, ſed bullarum inſtar evanidos, & apud feminas, pueroſque.

CLXXVII.

Nulla ſit Dictio, in qua præter leniores, qui Orationem omnem pervadere debent, gravior aliquis affectus non tractetur, ſed loco ſuo; ut veluti fortuito, ac naturaliter fluere, non item acceſſitus machinis neſcio quibus videatur.

CLXXVIII.

Poetarum, ac præcipue Tragicorum lectio ad extimulandam imaginationem multum facit. Hac fere Arte Oratores celeberrimi lacrymas in Concione, & clamores; ſibi vero nominis celebritatem, & admirationem peperere.

CLXXIX.

Magna prudentia opus eſt, ut nec longus, nec tumidus, nec ornatus, nec puerilis nimium ſit affectus; atque ut vocis, laterum, pronunciationis, geſtus adminiculis animetur.

CLXXX.

CLXXX.

Fontes affectuum nemo Ariſtotele melius pertractavit: iidemque Dictionem adornanti reguſtandi ſunt idemtidem, & eorum indiculus ad manum habendus erit.

§. IV.

De Diſpoſitione.

APHORISMUS LXXXI.

EX argumentationum, & cogitationum acervo, temere in chartam conjecto, eligenda ſunt duo, ſummum tria; in quibus roboris plurimum, & ad quæ cetera omnia, aut Confirmationis, aut Amplificationis nomine, revocari poſſint.

CLXXXII.

Venuſtior erit Diviſio, ſi ejus membra aliquem inter ſe ordinem, ſeu nexum, ſeu reſpectum habuerint; præcipue vero ſi rem propoſitam gradatim, & per incrementum extulerint.

CLXXXIII.

Non raro naturalis quiſpiam Ordo, ut Naturæ, Dignitatis, Temporis, Loci ſe offert: alias 1. A rerum plurium fortuito concurſu. 2. Partitione totius in partes. 3. Aut generis in ſpecies. 4. Variis argumenti affectionibus. 5. Et reſpectibus, 6. Cauſ-

6. Cauſſis. 7. Effectis. 8. Adjunctis Diviſio petenda erit.

CLXXXIV.

Uti Oratio tota, ita ſingula argumenta ſubdividenda ſunt; modo ne id putide, & anxie nimis fiat; & univerſim tanto melius docebit Orator, quanto accuratiore analyſi, ac methodo ſapienter inventa collocarit; nihil temere, ac veluti extra ordinem protulerit; nihil, quod loco moveri poſſit ſine totius deformitate.

CLXXXV.

Idonea hujuſmodi Diviſio multæ meditationis eſt, neque primis in cogitationibus acquieſcendum: Inventio ingenii; Affectus, & Amplificatio imaginationis; Diſpoſitio judicii opus eſt, & Artis apex.

CLXXXVI.

Etſi hodie apud aliquos hæc Diviſionis methodus tamquam humilis, minuſque ſplendida jaceat; eadem tamen Clariſſimi omnium ætatum Oratores Sacri juxta, ac profani maxime excelluere. Audi, quid Socrates Philoſophus de hac ſentiat: *Da mihi*, inquit vir ſapientiſſimus, *hominem, qui recte partiri ſciat, & ejus ego veſtigia, tamquam Dei cujuſdam, ſequar*.

CLXXXVII.

Uti armatorum hominum multitudini ordines ſui robur, humani corporis mem-

bris

bris nexus idoneus formant; ita Diviſio Orationi venuſtatem, vimque miram conciliat adeo, ut res eædem, aliter collocatæ, aliæ plane, & ab ſe diverſæ videantur.

CLXXXVIII.

Valet item ad memoriam Oratoris, & Auditorum figendam, evitandas faſtidioſas repetitiones, moderandam Orationis molem, ſingula ad unum finem referenda, dicendum ex tempore, plebis auram, & judicii famam captandam.

CLXXXIX.

Neque Exordium, neque Peroratio; quin nec Epiſtola, nec Poema, aut aliud humaniorum literarum Opus Partitione ſua careat; immo & in privatis collocutionibus, univerſa ſtudiorum ratione, in conſilio, deliberatione, negotiis methodum tenere, ac ordinem ſapientis eſt.

CAPUT II.

De Partibus Orationis.

§. I.

De Exordio.

APHORISMUS CXC.

IN genere Judiciali merito ſumma olim de conciliandа Judicum benevolentia,

& attentione per Exordium cura adhibebatur: nunc, Eloquentia fere in Templum, aut Academiam compacta, paratis alioquin, & benevolis Auditoribus, inter poſtremas Oratoris curas Exordium rejicitur.

CXCI.

Graviter errant, qui primos ſpiritus, primam ingenii contentionem in Exordii ſtructuram profundunt; languent deinde, quum ardore ſummo eſſet opus; atque adeo capiti aureo luteum corpus affingunt: ſapientius ii, qui primum æſtum, & veluti cogitationum florem in Confirmatione expromunt, eaque demum perfecta, de idoneo Initio cogitant.

CXCII.

Uti nec longum, nec floridum, nec affectatum; ita accuratum, nitidum, ſuave ſit oportet; ne ſcabritie illa, & neglectu offenſus, maleque ſibi de reliqua Oratione ominatus Auditor animis elangueſcat.

CXCIII.

Facillima, eaque probatiſſima, quia e cauſſæ viſceribus petita, exordiendi ratio eſt 1. Ab loco communi rei, de qua agendum eſt, cujuſmodi permulta Latinus, & Græcus Orator ſe in parato habuiſſe teſtantur.

CXCIV.

Secundo Exordium duci poteſt ab Adjun-

Adjunctis temporis, loci, perſonarum, &c. Atque ita frigidiſſima illa, multiſque infeſta de reperiundo Exordio anxietas ſublata eſt, multo temporis, ac inaniſſimi laboris compendio.

§. II.

De Propoſitione.

APHORISMUS CXCV.

Accidit frequenter, ut Orator, argumenti ſui imaginibus omnino ſeu occupatus, ſeu confuſus, illud, Auditoribus veluti perinde notum eſſet, ac ſibi, vel negligentius, vel obſcurius exponere ſoleat.

CXCVI.

Magis ridendus, an deplorandus eorum eſt error, qui de induſtria premendum ſibi exiſtimant, quid, aut quo ordine ſint dicturi; veluti aperta hæc, & ſimplex Diviſio Dictionis Majeſtatem infringeret.

CXCVII.

Propoſitionis pars prima Narrationis locum obtinet, verſaturque in elucidando ſtatu quæſtionis; quod fit per Etymon nominis, Definitionem, Diviſionem, &c. dicendo item, quo ſenſu intelligenda; ſenſus alios quibus accipi poſſit, refellendo.

CXCVIII.

Pars altera ipſa Diviſionis membra; idque verbis perſpicuis, propriis, minime translatis, nullo circuitu, exponit; quin juverit, popularem præſertim ad concionem, non modo dividere aperte, ſed diviſionem alia, atque alia verborum formula, ac Synonimia conveſtire; qui mos nunc apud Gallos Oratores potiſſimum viget, & cum laude ab Italis obſervatur.

§. III.

De Confirmatione.

APHORISMUS CXCIX.

MAgno eſt opere cavendum; ne, tædio ſuboriente, torpeſcens Auditor, aut ab audiendi aviditate remittat, aut animis avertatur alio, aut omnino ſe ſubducat: quare, etſi argumentorum, & verborum ſplendor, dignitas, novitas per ſe attentionem conciliet, aliis inſuper induſtriis utendum erit.

CC.

Figuræ populares, attentionem moventes, miſcendæ identidem, earumque indiculus ſuo cujuſvis marte, (nam hæ ſapidiores ſunt.) aut aliunde comparandus: cave tamen eas adhibeas, niſi ad

rem grandem, admirabilem; & in qua
ſite percipiendæ cauſſæ cardo vertatur:
eruntque hæ formulæ veluti totidem Exor-
diorum rudimenta.

CCI.

Apta Digreſſione non minus in Oratione, quam in theatro, tædium diſcutitur, attentio inſtauratur: quin eadem de cauſſa neque feſtivum ſalem, ſed quem res ipſa obtulerit, aſpernabere, rem nimirum Oratorum præſtantiſſimis uſitatam.

CCII.

Succoſior etiam, & inde gratior evadit Oratio, ſi, reciſis verborum inutilium parergis, locis communibus nonniſi prudenter, parce, & ſolide delibatis, recta collineent omnia.

CCIII.

Credant Auditores, brevem te fore; tu vero, ne fidem fallas; cave, ne prior Orationis pars longior evadat: alioquin ii, de altera idem ominati, animis cadent.

CCIV.

Sapida item erit Oratio, & ſuapte attentionem alet; ſi ſcholæ, & affectationis minimum, ſolidæ doctrinæ, & candoris habuerit plurimum; uti uberior erit dicendi locus, quum de ſtilo agetur.

CCV.

Quum inculcandum ſit, & pro ſerius advenientibus repetendum ſæpius Oratio-

tionis thema; illud, antequam compoſitioni te accingas, multiplici Synonimia variare ne omiſeris: ſerviet hæc variationum ſupellex ad evitandum faſtidium, e crebriore rei ejuſdem repetitione oriri ſolitum.

CCVI.

Tranſitionum idonearum cura habenda eſt, & formularum ejuſmodi promptuarium comparandum; præſertim, quum de una Orationis parte tranſeundum eſt ad alteram, aperte, quid dicendum ſit, expones.

§. IV.

De Confutatione.

APHORISMUS CCVII.

QUi noſtram hanc Methodum ſequi; hoc eſt argumenta cauſſæ intima invenire, eadem non tam verborum, quam argumentorum congerie amplificare, Orationem numeris omnibus abſolutam contexere voluerit; is crebra Confutatione per omnes Dictionis partes utendum experietur: quid enim tam certum, tam firmum, cui nihil poſſit opponi?

CCVIII.

Si plures occurrant objectiones, va-

rie-

rietate aliqua diluendæ ſunt; uti Conceſſione, Ironia, Subjectione, &c. elevantur alia joco; alia Deprecatione molliuntur; eluuntur Prætermiſſione, &c. Subinde aperta Prolepſi ſibi objicit Orator; alias rebus ipſis, quæ objici poſſent, elidit.

CCIX.

Confutatio incitata ſit, ardens, inciſa, numeris fluxis, antithetis, &c. aculeata; accurata denique, ac plena, ne dubium quid, aut non ſatis ſolutum in audientis animo adhæreſcat.

§. V.

De Peroratione.

APHORISMUS CCX.

Languet apud permultos hæc Orationis pars, ſeu quia laboris diuturnitate defeſſi arma quamprimum ſuſpendere geſtiunt, ſeu quia Anacephaleoſim perfacilem, affectum ſua ſponte fluere, & rem totam iterata Exclamatione confectam exiſtimant.

CCXI.

Re vera excitandus eſt de integro fervor; tum ut ne Orationis reliquæ laudes aliquo neglectu corrumpantur; tum ut ſementis jactæ quædam veluti meſſis

fiat.

fiat; quum plerumque priorum oblitus Auditor ab iis, quæ ultimo audivit, Orationem juxta, ac Oratorem æſtimet.

CCXII.

Duo Perorationis officia ſunt: *Anacephaleoſis*, & *Affectus*: Anacephaleoſis eſt non leve artificium; ut præcipua Dictionis capita ſine faſtidio, illuſtriori aliqua figura, & quadam verborum novitate involuta, apte exponat; plane ut Recentiores Philoſophi longiſſimas Diſputationes multa induſtria in brevem tabellam conjiciunt: poterit item hic relictorum argumentorum ſpicilegium fieri.

CCXIII.

Affectus ſit vehemens, & varius; adferatque ea, quæ ſenſum feriunt acrius, ac totam Anacephaleoſim pervadat.

CAPUT III.

De Stilo, & Elocutione.

§. I.

De Stilo.

APHORISMUS CCXIV.

Uti Oratoris mores, ac ingenium in Dictione elucent, ita tot ſunt ſtili genera, quot capita: dicendi character

racter eſt optimus, qui tuus; ſed ea conditione, ut ad Tullianum quam proxime accedat. Dictio naturali quodam ſpiritu afflata & decora magis eſt, & grata.

CCXV.

Stili dotes ſunt quatuor: *Perſpicuitas*, *Gravitas*, *Vehementia*, *Splendor*; vitiis totidem: obſcuritati, humilitati puerili, ſiccitati languidæ, & frigori oppoſitæ. Hæ Virtutes, ſeu vitia non in parte aliqua, ſed in tota Orationis ſtructura ſpectandæ ſunt.

CCXVI.

Perſpicuitati tanta religione ſtudendum eſt, perinde ac ſi in ea principem tuam laudem collocares, nec tam laudari, quam intelligi, velles, & ita intelligi, ut non intelligi omnino non poſſis; & Auditor ſentiat, hanc a te laudem affectari: quod idem de toto humaniorum literarum curriculo intelligendum eſt: quanto quis doctior, tanto in cogitatis ſuis proferendis facilior eſt.

CCXVII.

Sollicite relegenda eſt Oratio, eaque cumprimis emendanda, quæ ambiguum, aut obſcurum ſenſum habere viſa fuerint: explorandum amicorum judicium; ecquid primo ſtatim intuitu percipiant omnia? alieni oculi facilius vident, & acutius.

fiat; quum plerumque priorum oblitus Auditor ab iis, quæ ultimo audivit, Orationem juxta, ac Oratorem æſtimet.

CCXII.

Duo Perorationis officia ſunt: *Anacephaleoſis*, & *Affectus*: Anacephaleoſis eſt non leve artificium; ut præcipua Dictionis capita ſine faſtidio, illuſtriori aliqua figura, & quadam verborum novitate involuta, apte exponat; plane ut Recentiores Philoſophi longiſſimas Diſputationes multa induſtria in brevem tabellam conjiciunt: poterit item hic relictorum argumentorum ſpicilegium fieri.

CCXIII.

Affectus ſit vehemens, & varius; adferatque ea, quæ ſenſum feriunt acrius, ac totam Anacephaleoſim pervadat.

CAPUT III.

De Stilo, & Elocutione.

§. I.

De Stilo.

APHORISMUS CCXIV.

UTi Oratoris mores, ac ingenium in Dictione elucent, ita tot ſunt ſtili genera, quot capita: dicendi character

racter eſt optimus, qui tuus; ſed ea conditione, ut ad Tullianum quam proxime accedat. Dictio naturali quodam ſpiritu afflata & decora magis eſt, & grata.

CCXV.

Stili dotes ſunt quatuor: *Perſpicuitas*, *Gravitas*, *Vehementia*, *Splendor*; vitiis totidem: obſcuritati, humilitati puerili, ſiccitati languidæ, & frigori oppoſitæ. Hæ Virtutes, ſeu vitia non in parte aliqua, ſed in tota Orationis ſtructura ſpectandæ ſunt.

CCXVI.

Perſpicuitati tanta religione ſtudendum eſt, perinde ac ſi in ea principem tuam laudem collocares, nec tam laudari, quam intelligi, velles, & ita intelligi, ut non intelligi omnino non poſſis; & Auditor ſentiat, hanc a te laudem affectari: quod idem de toto humaniorum literarum curriculo intelligendum eſt: quanto quis doctior, tanto in cogitatis ſuis proferendis facilior eſt.

CCXVII.

Sollicite relegenda eſt Oratio, eaque cumprimis emendanda, quæ ambiguum, aut obſcurum ſenſum habere viſa fuerint: explorandum amicorum judicium; ecquid primo ſtatim intuitu percipiant omnia? alieni oculi facilius vident, & acutius.

CCXVIII.

Vitanda verba parum uſitata, nova, barbara; nimia periodorum prolixitas, amphibologia; verborum aſperior trajectio: quo recondita magis fuerint argumenta, tanto curandum eſt magis, ut res, ſuapte obſcuræ, verborum luce colluſtrentur.

CCXIX.

Oritur obſcuritas apud pleroſque e perturbato, & confuſo de rebus cogitandi modo: huic methodus, ad certa capita reducens omnia, & juſtæ diſpoſitionis ordo medetur.

CCXX.

Gravitas tum ex argumentorum, e Philoſophiæ utriuſque abditis deſumptorum, dignitate, novitate, ſubtilitate; tum verborum graviter ſonantium virili quadam, minimeque fracta concinnitate conciliatur: uti contra argumentis obviis, trivialibus, pervulgatis, crebro locorum communium uſu, amplificatione levicula, verbis translatis, deſcriptionibus fuſis, ac floridis, eruditionum ampullis neſcio quibus, ac deliciis omnino enervatur.

CCXXI.

Vehementia partim e dicendi ardore, partim affectuum; & figurarum varietate enaſcitur: ecquid enim non vivit Orator, qui rem eamdem variis modis illu-

illuſtrat; interrogando urget; alias velut adverſario interroganti reſpondet; dubitat, quid, aut quomodo dicat; nunc ſecum, nunc cum Auditoribus, nunc cum hoſte deliberat; ſermocinatur; hominum ſermones, conſilia, ora expingit; perſonas confictas inducit; exclamat; jocatur, iraſcitur; deprecatur? En brevem Figurarum ſynopſin.

CCXXII.

Accidit frequenter, ut, quæ mente acriter conceperis, verbis non ſatis adſequare; atque adeo latine loquendi difficultas Orationis vehementiam, & ſpiritus infringat: itaque locum, quem vehementiorem ceteris, & impreſſioni faciendæ aptiorem cenſueris, vernacula in chartam conjice, tum in latinum transfer.

CCXXIII.

Non uſque eo religioſa, triſtis, ac ſevera eſt Orationis gravitas, ut ſuas partes adimat ſuavitati: quædam ingenii lumina, eruditio, translatio, ſales opportuni ſuo loco commendabiles ſunt: ſed parce admodum, ac verecunde, quoniam pronum nimis eſt in delicias has abripi. De Acuto, Sublimi, Regio charactere infra erit dicendi locus.

CCXXIV.

Stilus porro rebus accommodandus eſt, aliterque infima, media, ſumma tractanda: Suavitas in Panegyricis, Gravitas in

Deliberativo, Vehementia in Judiciali dominantur, ac eminent: Perſpicuitati ubique locus eſt.

§. II.

De Elocutione.

APHORISMUS CCXXV.

Uti compertum eſt, curioſos nimium verborum aucupes rerum fere jejunos eſſe; ita cavendum, ne rerum ſtudioſiores horridiorem, omnis Elegantiæ neglectu, Orationem condant. Si tamen alterutrum negligendum foret, Elocutionis, quam juſtæ Inventionis, jacturam facere malim.

CCXXVI.

Elocutio propria ſit, periodica, numeroſa. De comparanda latini ſermonis proprietate non eſt hujus loci diſputare, utpote quæ ad grammaticam Rhetoricam pertinet.

CCXXVII.

Ad proprietatem æquabilitas refertur: ne intumeſcat alibi; alibi ſubſidat; ſui diſſimilis, hians, & inæqualis fluctuet Oratio: vitium iis commune, qui & alienis liberalius utuntur, nec ſolertia ſunt tanta, hæc ut in rem ſuam verterent.

CCXXVIII.

CCXXVIII.

Plerumque periodice dicendum, exemplo Maximi Oratorum; præterquam in Narratione, aut quum affectu acriore intendenda eſt Oratio; ubi, quod alias monuimus, membratim, ac inciſim dicendum eſt: immane quantum numeroſam inter, & ſolutam numeris, fluctuantemque Orationem diſcriminis intereſt.

CAPUT IV.

De Oratione in Genere Demonſtrativo.

§. I.

De Inventione.

APHORISMUS CCXXIX.

DEmonſtrativi, ſeu Epidictici generis perfrequens hodiedum uſus eſt in Templis, Academiis, Solemnitatibus publicis, Funeribus illuſtribus, Principum Adventu, Inauguratione, Victoria, Divorum Apotheoſi, &c. Ut adeo multum interſit, quam viam teneat Rhetor, ne vulgaribus plauſibiliter errantium exemplis ſeductus ab genuino Panegyrici charactere deſciſcat.

CCXXX.

Quantumvis Inventionis vices hoc in ge-

genere Hiſtoria ſuppleat, & certa fere, minimeque dubia adferantur, non inde Enthymema penitus excluditur; quum laudantis perinde, ac ſuadentis, vel accuſantis finis ſit Dictione perſuadere: quare hoc loco de Inventione præcipue ſermo erit.

CCXXXI.

Epidictico generi haud paullo plus florum, ac ſuavitatis conceditur, ac Deliberativo, & Judiciali: danda nihilominus eſt opera, ut Thema grave, illuſtre, virile, minime ludicrum inveniatur.

CCXXXII.

Vulgatiſſima Exornandi ratio ab Allegoria petitur, qua eamdem Narrationem Oratoriam infinitis ſchematis conveſtiunt: hominem unum Aquilæ, & Reguli; Accipitris, & Columbæ; Lauri, & Oleæ; &c. formas induere jubent; rem eamdem in ſexcentas formas fundunt, & refundunt.

CCXXXIII.

Hanc methodum, uti Evangelio ipſi uſitatam, etſi univerſim damnare non auſim, ea tamen prudenter admodum, caſte, ac timide utendum exiſtimo: idque primum Oratoris, deinde Auditoris cauſſa.

CCXXXIV.

Metaphorico in primis Oratori aut de Ingenii fama periclitandum; aut labor ma-

maximus erit ſuſcipiendus: etenim, ſi Metaphoram ſuam vulgariter tractet, & imperite, minimum laudis referet; quum cuilibet de trivio Tironi facilius nihil ſit, quam Metaphoram flexu vario circumducere: eamdem vero pro dignitate tractare magni ingenii, eruditionis, &c, quod inde conſequitur, non levis eſt operæ.

CCXXXV.

Auditori vero non poteſt non eſſe injucundum de re eadem toties, varietate nulla, nec pauciora de Aquilæ, Reguli, &c. quam Clari Viri laudibus audire; præterquam quod omni illa de Aquila, &c. penu exhauſta nihilo majorem audientibus opinionem de Herois tui Virtute ſis ingeneraturus, ac ante domo ſecum extulerant.

CCXXXVI.

Paradoxum, ſeu ab Antitheſi ductum Thema tolerabile; &, ſi modeſtum, nec nimis durum fuerit, etiam laudabile eſt: cavendum tamen, ne in neſcio quæ Paradoxorum Monſtra declinetur, aut ſolius ingenii luſibus res tota conficiatur.

CCXXXVII.

Plus dignitatis Comparatio habet, modo ne ex homine Deum facias, aut Semi-Deum, & quæ ſunt portenta ejuſmodi, ne in ſcholis quidem ferenda; queis tamen haud parce Recentiores permulti indulgent.

CCXXXVIII.

Petita a Fabulis, nominum Alluſionibus, Adagiis plebejis, &c. Themata, ſine appellatione, damnanda ſunt: hujus item generis ſunt Accuſatio Virtutis, Vitii Encomium, Problemata, &c. Qui vero Arcus triumphales, Coloſſos, Tropæa, Templa fabricantur; variis Symbolis, & Inſcriptionibus ornanda, cantilenam ſe adferre credant ſexcenties decantatam.

CCXXXIX.

Conſultiſſimum igitur eſt aut vitæ totius capita præcipua, aut virtutem unam, aut vitæ partem, aut factum denique unicum, laudatione ſimplici, ſine Metaphoræ, Paradoxi, aliave ſcholaſtica, & frigida pompa, gravi, factaque ad perſuadendum Oratione, proſequi.

CCXL.

Huc accedunt modi alii; uti 1. Quinam Heroi tuo honores ſeu viventi, ſeu demortuo habiti? 2. Queis naturæ dotibus, & ut eis uſus fuerit? 3. Ætatis certæ, ut adoleſcentiæ, &c. vitia devitaſſe omnia; Virtutibus claruiſſe. 4. Idem de vitæ ſtatu, & conditione, in qua vixerit. 5. Dicta ejus memorabiliora; & vixiſſe, ut docuerit. 6. Fuiſſe ſui Sæculi, Patriæ, Ordinis ornamentum. 7. Legum, aut doctrinæ ejus fructus, & præſtantia. 8. Confutatio eorum, qui male

de

de eo ſenſere, aut ſcripſere. 9. Neminem habuiſſe, quem imitaretur; ipſum vero inimitabilem fuiſse. 10. Divinæ Providentiæ, cum e minimis ad maxima ducentis, admiratio. 11. Honoris titulos, quos uſus, aut magni Viri indiderint; jure ei tribui, & cetera, quæ in hunc modum pro perſonæ varietate excogitari poſsunt, plurima.

CCXLI.

Specialia de funeribus, nuptialibus, natalitiis, &c. apud Cauſinum, &, qui ex ejus fontibus hauſere, Præceptorum gregem plurima reperies.

§. II.

De Amplificatione.

APHORISMUS CCXLII.

ETſi Amplificatio princeps ſit Rhetoris uſus, præcipue tamen, & unice in Epidictico genere dominatur; ut adeo non anima ſolum, ſed corpus ipſum Panegyrici dici poſse videatur: nempe hic & argumentorum, & argumentationis partes una ſuſtinet.

CCXLIII.

Genuinæ Amplificationis ſilva uberrima ei deeſse nequaquam poterit, qui Ariſtotelis locos, Demonſtrativo generi

proprios l. 1. Rhetoric. c. 9. item de Majori, & Minori Bono c. 7. denique de Felicitate c. 5. probe perſpectos habuerit, & in ſuum uſum vertere noverit. Qui eos, ad faciliorem diſcentium captum illuſtratos, accommodato ordine digereret, magnum faceret operæ pretium.

CCXLIV.

Congeries adjunctorum ad exornandum illuſtre factum prope unice valet, & plurimum ad Amplificationem item ratiocinationis, per quam ſcilicet facti difficultas extollitur, ut ejus præſtantia exaugeatur: quæ amplificandi ratio uti pulcherrima, ita frequens ſit oportet.

CCXLV.

Non minus fecunda eſt majorum, minorum, parium Comparatio. Recentiora exempla ſubinde præ vetuſtis gratiam habent. Ad exempla autem rite tractanda magnam lucem adferet citatum Ariſtotelis caput 7. de Majoris, & Minoris Boni Comparatione.

CCXLVI.

Denique Exornativo generi in locos communes paullo licentius expatiandi; indeque, præſertim in materia ſterili, ſubſidia petendi venia eſt; modo ii ſententioſe, erudite, minimeque vulgariter pertractentur.

§. III.

§. III.

De Diſpoſitione.

APHORISMUS CCXLVII.

QUoniam in ordine, ac methodo plurimum eſt elegantiæ, hujus in genere Panegyrico prima ratio eſt habenda. Diſpoſitionis autem dignitatem Tranſitiones venuſtæ magnopere adjuvant, & exacuunt: his duobus e cardinibus totus fere Panegyrici ornatus pendet.

CCXLVIII.

Diſpoſitio plerumque ex ipſa Thematis natura enaſcitur; alias e virtutis, factique partibus illuſtrioribus; ſubinde & ex ipſo variarum ætatum ordine deſumitur, quod poſtremum tamen Scholam olet: univerſim Methodus multi judicii, & meditationis eſt.

§. IV.

De Elocutione.

APHORISMUS CCXLIX.

AD conſtituendam Elocutionis formam finis Panegyrici ante omnia inquirendus eſt: hic vero finis neque in

ſola, neque præcipue in oblectatione ſiſtit; nam hoc Poetæ eſt, illud Mimi, aut Muſici; neque hac cauſſa confluit ad audiendum Panegyris.

CCL.

Itaque etiam in hoc dicendi genere perſuadendum eſt Dictione; hoc eſt, opinio magnifica de ejus, quem laudandum ſuſceperis, Virtute audientibus ingeneranda: inde conſequitur, non plus ornamentorum adſciſcendum, quam fini huic, id eſt Perſuaſioni, conducat; rejicienda omnia, quæ obſint.

CCLI.

Conſequitur inde etiam illud, Oratorem indulſiſſe ornamentis nimium, parumque probe officio functum 1. Si reduces e Panegyri Auditores in deprædicanda Oratoris facultate, acuminum, & eruditionis præſtantia multi ſint; at Herois dilaudati nihilo majorem exiſtimationem domum referant. 2. Si ſimplici narratione Hiſtorica plus adficerentur, quam fuſa illa, & Oratoria.

CCLII.

Quia res alioquin notas, ſæpiuſque fortaſſe auditas repetere faſtidioſum eſt; hac, nec alia cauſſa, Exornativo generi florum aliquanto plus, tranſlationes liberiores, argutiæ, deſcriptiones, eruditiones, &c. conceduntur.

CCLIII.

CCLIII.

Cum nimio ornatu neque methodus conſiſtere poteſt, nec perſpicuitas, nec affectus, nec gravitas: Auditori ſatietas adfertur; obruitur attentio; nec fieri poteſt, quin intruſa multa frigida, puerilia intercurrant; fluctuet, aberret, male cohæreat Oratio.

CCLIV.

Sit igitur dicendi character ejuſmodi, qualem Tullius in Verrinis (oppoſitorum namque eadem eſt ratio.) ſectatus eſt; qualem Bencius, Nigronius, Petavius, Juvencius, Perpinianus, (in quo tamen affectatiſſimam illam Tulliani ſermonis imitationem nemo probaverit.) ſuis in Panegyricis, non infeliciter expreſsere; quorum ſuavis quidem, & ornata; plena tamen dignitatis, & gravitatis eſt Oratio.

CCLV.

Celeberrimum, & in quo Recentiores tantum non inſaniunt, ornamenti genus eſt *Acumen;* cujus Princeps Plinius habetur. De hoc infra uberius tractabitur.

CAPUT V.

De Stilo Sublimi, Venuſto, Delicato, uti & de Acuti Fontibus.

APHORISMUS CCLVI.

QUidquid eſt Acutarum Sententiarum, ad tres fere claſses reduci poteſt: ſunt aliæ *Sublimes*; aliæ amœnæ, & *Venuſtæ*: aliæ denique reconditæ, ſeu, ſi ita appellare libeat, *Delicatæ*. De ſingulis eſt ſpeciatim dicendum.

CCLVII.

Sublimes magnificum quid, nobile, & excelſum ſonant, petunturque a rebus natura magnis; uti ſunt 1. Quæ Deum ſpectant, & Divina. 2. Res humanæ, quæ vulgo illuſtres habentur; ut *potentia, doctrina, victoria, generoſitas, &c.* 3. Comparationes a rebus naturalibus magnis, *fulmine, &c.* aut artefactis, *palatiis, hortis, &c.*

CCLVIII.

Sublimitati tumor opponitur, Poetis, Hiſpanis, & Polonis familiare vitium, uti & Regum Aſſentatoribus, in portentoſas Hyperboles ſe fere effundentibus; eſt autem hic tumor 1. Conatus *ſupra rem*, elatior nempe, quam argumenti natura ferat; non enim omnia ſublimia eſſe poſ-

ſunt.

ſunt. 2. Conatus *ſupra vires*; non enim cujuslibet ingenii eſt ſublime adeo evolare.

CCLIX.

Argutiæ Venuſtæ, concinnæ, amœnæ petuntur 1. A rebus natura venuſtis, ut *hortis*, *rivulis*, *luce*, *cælo ſereno*, *pratis*, *amoribus*, & ejuſmodi, quæ ſenſibus blandiuntur. 2. A fictionibus Poeticis elegantioribus. 3. A Metaphoris ſelectis. 4. Ab oppoſito, & dictis, ambiguum ſenſum habentibus. 5. Ab ſimplici quodam, & naturali candore. 6. A rerum tragicarum, & triſtium deſcriptione graphica. Quidquid denique novum eſt, & inexpectatum.

CCLX.

In ipſa venuſtate ſervandum eſt decorum, ne in affectationem frivolam deſinat, qualis Ovidio, & Senecæ ipſi ab aliquibus tribuitur; veluti bene ſemel cœpta abrumpere non poſſint. Affectata venuſtate nihil eſt deformius.

CCLXI.

Delicatæ, & reconditæ Argutiæ eæ ſunt, quæ pauculis verbis ingenioſum ſenſum oſtentant verius, quam detegunt, nec parum audientis inquiſitioni, ac veluti divinationi relinquunt: differunt a ſuperioribus, quod Sublimitas, & Venuſtas totæ, & velut aperta facie incurrant in oculos; hæ latens quid, & reconditum, ac veluti myſterii aliquid contineant.

CCLXII.

Delicatæ dicuntur, veluti delicias facerent, ſumpta Analogia a Cibo, Muſica, Pictura; in quibus ſæpe deliciæ quædam inſunt, quas ſatis explicare nequeas. Delectatio porro, quam adferunt, non tam e magnificentia, aut venuſtate oritur, quam quod Inventionis gloriam legenti relinquant, velut de re propria gaudenti.

CCLXIII.

Delicatarum cogitationum delicatiſſimæ ſunt, (quod idem de ſuperioribus dici poteſt.) in quibus nihil violentum, anxium, ſollicitum; ſed quæ Acumen habent nativum, naturale, candidum, e rebus ipſis enatum, ſine fuco, & præſtigiis; velut ingenuæ formæ Virgo ſine pigmentis: qualia in Cicerone, & Ovidio paſſim offendas.

CCLXIV.

Cavendum eſt, ne delicatæ hujuſmodi Argutiæ in nimiam ſubtilitatem, & ideo vitioſam, degenerent. Plinius ipſe in Panegyrico nonnumquam excedit; uti & ii, qui, hominum more loqui dedignati, miracula, & oracula ructare amant. Ab hac ſubtilitate nonniſi paſſum unum, & medium κακοζηλία, & obſcuritas diſtat.

CCLXV.

Argutarum ſententiarum cujuſvis generis duæ inſuper ſunt principes Virtutes;

tes: *Claritas*, *Veritas*. Etſi rem dicas nobilem ſine tumore, venuſtam ſine affectatione, delicatam ſine ſubtilitate; niſi eadem perſpicua ſit, inquinat potius, quam commendet, Orationem.

CCLXVI.

Obſcuritas, quod alias dictum, ſubinde e prava collocatione; alias e cogitandi ratione confuſa plerumque oritur; eſtque eorum propria, quibus omnia ſordent, quæ natura dictavit; quorum ambitio, ingenii viribus defecta, chaos quoddam ridiculæ Argutiæ procudit; qui fere nec ipſi, quid dicant, aut quid ſentiant, intelligunt.

CCLXVII.

Obſcuri item fiunt, quibus abrupti nimium ſenſus, & amputati; qui Metaphoris elidunt, venuſtum delicato, ſublime humili miſcent; nunc tumore, nunc jocis diffluunt; quorum myſteria nullus divinator ſatis adſequatur: certiſſimum infirmi juxta, ac elati, & ubique in ſuam debilitatem incurrentis intellectus argumentum.

CCLXVIII.

Veritas denique præprimis ſpectanda; neque enim rationi placere poteſt falſum: in ipſa fictione Poetica decorum tenendum eſt. Paradoxa, & Hyperbole certis præmunitionum formulis emollienda.

CCLXIX.

Argutiæ quædam ita protritæ ſunt, ut argutæ eſſe prope deſierint: adferendum nihil eſt, niſi novum, & inexpectatum.

CCLXX.

Argutiarum fontes Maſenius Jeſuita in erudito ſuo libello aperuit, cui multa fortaſſe detrahi, addi vix quidquam poteſt. Fontem primum aſſignat a Repugnantibus de re eadem affirmatis; aut re eadem de eodem ſimul ſubjecto affirmata, & negata. Secundum ab Alienatis, quum rei aliquid, ab ejus natura, & proprietatibus alienum, tribuitur. Tertium a Comparatis. Quartum ab Alluſione vocum. Tu uberius e fontibus ipſis hauries.

CCLXXI.

Hactenus dicta in Re Poetica, Epigrammatis, Inſcriptionibus, argutis Elogiis, Dedicationibus, &c. maximum uſum habent. Orationi ſunt verecunde, & condimenti loco, inſpergenda; nempe cujus ornatum ſanctum, caſtumque, qualis virum deceat, eſſe oportet.

CAPUT VI.

De Oratione Sacra.

§. I.

De Inventione Thematis.

APHORISMUS CCLXXII.

QUamquam Sacra Oratio, quam Concionem barbare vulgus appellat, a Forenſi, & Academica, ſola materia, differat, & hæc ad alterius leges examuſſim conformanda ſit; peculiaria tamen nonnulla adnotaſſe non abs re fuerit.

CCLXXIII.

Thema eliges ejuſmodi, quod arrideat genio tuo; in quod propenſione quadam animi feraris; quo ipſum te olim motum memineris; quod tibi verum videatur: niſi tibi ſapiat, ſapiet nemini; niſi afficiaris ipſe, neminem afficies; & vita, ſpiritu, ſucco defecta Oratio contabeſcet.

CCLXXIV.

Plerumque ex Evangelii aperto textu deſumendum, neque violente in rem ſuam detorquendum eſt: multa Evangelia certam doctrinam ita continent, ut ab ea recedere vix liceat.

CCLXXV.

Si, lecto, relectoque Evangelio, nihil primo intuitu occurrat, quod placeat; Commentator aliquis, ut Hugo a S. Caro Card., Dionyſius Carthuſianus, Lyranus, Maldonatus, Salmeron, Hugo Grotius, Cornelius a Lapide, &c. aut Auctores ii, qui pro ſingulis Evangeliis Thematum ſilvam compilarunt, aut formati denique Concionatores erunt conſulendi.

CCLXXVI.

Magnum laboris, & temporis compendium fecerit, qui, antequam ad concionandi munus adgrediatur, thematum ſilvam confecerit ex iis, quæ, annorum decurſu, aut ab aliis dici audierit, aut inter ſacrarum rerum lectionem obſervaverit; quod iis factitandum maxime, qui ad præſtantiſſimum hoc munus idoneos ſe, & quodam animi pondere pertrahi ſenſerint.

CCLXXVII.

Rerum dicendarum materia petenda eſt ex octo Theologiæ Tractatibus, e Catechiſmo Romano, ex aureo S. Ignatii, Societatis JESU Fundatoris, libello Exercitiorum: abſtinendum tamen a rebus pure ſpeculativis, atque ſubtilibus, quæ plebi commode præmandi nequeant.

CCLXXVIII.

Diſpiciendum præterea eſt, non modo num de Miſericordia, aut Tempe-

rantia, &c. dicendum ſit; ſed de quo actu, aut quo argumento utendum; nam de eadem re infinita dici poſſunt; neque umquam univerſaliſſimum thema ſumendum eſt. Profuerit de Temperantia v.g. Topicam ſibi conficere, aut Analyticam tabellam rerum omnium, quæ de hoc argumento quæri; & olim, ad fallenda ſenectutis tædia, in librum unum congeri poſſunt; quod Menochio, Drexelio, aliiſque familiare fuiſse compertum eſt.

CCLXXIX.

Si in parva, & benemorata Civitate ad Auditores, maximam partem probos, rectoſque dicendum ſit, Aſcetica Themata non diſplicebunt, ſi tamen Theologice tractentur: quin doctrinis hujuſmodi apud omne genus hominum locus eſt, ſuntque vel magnis peccatoribus in verecundiam dandis opportunæ.

CCLXXX.

Materiæ e Theologia Morali, ſeu Caſuiſtica, quæ vel laxare, vel reſtringere nimium, vel perturbare hominum ſimplicium animos poſſent, tangendæ non ſunt: aliæ tractabuntur utiliter, in explicando præſertim Decalogo.

§. II.

De Inventione Argumentorum.

APHORISMUS CCLXXXI.

QUoniam Sacri Oratoris tota ſeu fructus ſpes, ſeu laudis, ab Inventionis modo pendet; non abs re fecerit, ſi huic vel dimidium temporis, ad parandam Dictionem conceſſi, impendat: inde enim & Diſpoſitio ſponte enaſcetur; & Elocutio vernacula tam operoſa non eſt; & memoriæ, prævia tanta meditatione, conſuletur.

CCLXXXII.

Duæ Sacrorum Præconum Sectæ ſunt celebriores: alteram *Commentatorum*, *Rationalium* alteram, ſi ita libet, appellemus. Illi Exemplis, hi Enthymematis liberalius indulgent: illi teſtimoniis, ſacra eruditione, figuris Biblicis, interpretandi ſubtilitate; hi genuina Amplificatione Oratoria præſtant: illi plus doctrinæ; iſti arte ſuperant: illis major ingenii ſpecies, major fortaſſis apud eruditulos applauſus; hi populum omnem efficacius movent: tonant illi; iſti fulminant: illi e libris; hi labore ſuo, & ingenio vivunt: illi Hiſpanis; Gallis iſti, & Italis præplacent: illorum

Dux Vieira Hiſpanus; horum inimitabilis Segneri, Italorum Cicero, & Bourdaloveus Gallus.

CCLXXXIII.

Quod univerſim præceptum eſt, hic ſpeciatim inculcandum venit, ut ejus roboris, ac firmitatis argumenta reperias, quæ tuum intellectum convincant; quæ ineluctabilia, quæ ex omni latere valida; quæ vel in ſcholaſtico certamine ſuſtineri poſſe cenſeas: in eam rem hoc fere itinere incedes.

CCLXXXIV.

Chriſtianæ Religionis dogmata tam ſunt ardua, ſublimia, ſuper mortalis naturæ conditionem elata, ut ea nulla humanæ ſapientiæ Eloquentia, niſi Divinorum Oraculorum Auctoritate nitatur, ſatis perſuadeas: quapropter indubitatum eſt, ſuum argumentis pondus unice e Sacris Literis, conſtare debere.

CCLXXXV.

Igitur ea primum adnotabis, quæ tibi e lectis olim, ſeu auditis, in memoriam venerint; deinde in Concordantiis Biblicis (ſi his rite uti noveris.) diligenter inquires, num Scriptura ipſa ſeu argumentum, ſeu argumenti firmamentum ſuggerat; demum repertarum ſententiarum ſenſum genuinum in melioris notæ Commentatore aliquo, aut Sancto Doctore, ſi opus ſit, indagabis.

CCLXXXVI.

CCLXXXVI.

Etſi in Sacris Paginis divina ſint omnia; poſt Sacroſanctum tamen Evangelium, e Veteri Teſtamento Iſaiæ Prophetia, e Novo S. Pauli Epiſtolæ doctrinas & plurimas, & pulcherrimas ſuppeditant: quantum autem fieri poteſt, Literali ſenſui eſt inhærendum; Allegoricus namque, & Anagogicus, & forte etiam Tropologicus, plebis (cui etiam laborandum eſt utique.) captum ſuperat.

CCLXXXVII.

Sanctorum deinde Patrum ſenſum, traditaque ab iis Scripturæ explicatio exploranda; eſtque hic alter fons argumentorum: tum quia eorum Auctoritas, & Sanctimonia, Antiquitas, & Eruditio merito apud Chriſtianos primo loco habetur; tum quod excogitari vix quidquam poſſit non ante ab iis excogitatum.

CCLXXXVIII.

Obſervanda porro in iis ſunt rationum momenta, quibus probant; non ſententiæ, quibus affirmant; niſi in materia dubia, ubi vel ſola affirmantium Auctoritas pro ratione eſt: quod monitum, pluribus infra exponendum, tibi quam commendatiſſimum velim.

CCLXXXIX.

Si tempore excludaris, quin ipſe in ampliſſimos hos campos effundare; indices minimum perquires, præſertim copio-

pio-

pioſiſſimos illos, ab eximiis illis Congregationis S. Mauri Patribus recens adornatos: fieri non poteſt, quin, in tanta ubertate, multa ſe non offerant in rem tuam.

CCXC.

Quod ſi libris, & idoneis indicibus deſtituare; Compilatores denique conſule, ut Cocci Theſaurum, Manſi, Lohneri, Spanneri Bibliothecas, Catenas SS. PP. &c. aliosque, qui e Patrum dictis centones texuere: ſeliges ea, quæ probant; rejicies, quæ ſimpliciter aſſerunt.

CCXCI.

Equidem ab regia SS. PP. via temere recedendum non eſt; non ideo tamen propriæ Inventiones rejiciendæ, modo nihil a communi Sanctorum Doctorum opinione alienum habeant.

CCXCII.

Quin ſola Langii, vel auctior Zvvingeri Polianthæa argumenta ſuppeditabit, & ſupellectilem in multos annos: obſervandæ autem potiſſimum eæ ſententiæ, quæ Diviſionem, ſeu Partitionem aptam Themati ſubminiſtrant.

CCXCIII.

Si ex tempore dicendum ſit; obviam quamque vel ultimæ notæ Concionem, ſi alia non ſit ad manum, arripe: tam ſterilis nulla eſt, quin aliquod e Scriptura Sacra, & Patribus argumentum indicet: tu illud more tuo deduces Analytice;

Am-

Amplificatione gravi, illuſtri Figura, Affectu vehementi vitam addes, & ſpiritum: atque adeo ex alieno, humili, antiquo rem tuam illuſtrem, novamque reddideris.

CCXCIV.

Delecto in hunc modum e Sacris fontibus Argumento, & veluti jactis Dictionis totius fundamentis, ingenium operi admovebis, & manus: nimirum ut propoſiti argumenti ſinus omnes excutias; indagatione ſolerti viſcera ipſa rimeris; nec acquieſcas, antequam ita ſtabilita ſint omnia, ut objici nihil poſſe videatur: neque tibi minus hic elaborandum exiſtimes, quam in profana Oratione, quæ unice ab humano ingenio, & eruditione pendet.

CCXCV.

In hanc rem aliis præterea librorum adjumentis uti licebit: uti Theologis Scholaſticis, Moralibus, Myſticis; iis præſertim, qui de ea materia integris libris perſcripſere: neque Ariſtotelis, Senecæ, & Philoſophorum ſcripta negligenda putes; ut adeo profana Philoſophia in Sancti Evangelii obſequium traducatur.

CCXCVI.

Oratoriæ huic argumentationi S. Doctoris nomen dignitatem addit; viciſſim argumentatio illa doctrinam paucis con-

ten-

tentam evolvit; latentem in luce ponit; tenui amplitudinem conciliat; ex Evangelica ſimplicitate, & ſolertia Dialectica aptam movendis animis Orationem elicit; ut Auditor, quòd Divinorum Virorum auctoritate convictus verum eſſe credit, hoc, argumentationis apparatu, verum eſſe prope ſentiat, & palpet.

CCXCVII.

Hinc colliges, Divi Chryſoſtomi v. g. ſententiam adeo tibi propriam eſſe faciendam, ut principio, vel poſtea diſerte dicas, hanc eſſe Chryſoſtomi ratiocinationem; dein ipſa ejus verba ſtrictim adferas; cetera verbis tuis, & ſpiritu utaris.

§. III.

De Amplificatione.

APHORISMUS CCXCVIII.

QUi Commentatoriam methodum ſequuntur, toti ſunt 1. In figuris Biblicis, Patrum teſtimoniis. 2. Exemplis, & Hiſtoriis Sacris aggerendis. Diverſam alii viam tenent, ſuaſque Dictiones 1. Profanis, quas vocant, Eruditionibus. 2. Philoſophorum, & Poetarum gnomis. 3. Profanis denique Hiſtoriis opplent: atque hæc tota illorum Amplificatio eſt. Contra Rationalis hæc noſtra ſecta omnia

iſta

iſta aut rejicit plane, aut religioſiſſime temperat. De his ſingillatim dicendum eſt.

CCXCIX.

Crebriores Figuræ Biblicæ multis e capitibus ad vulgi, ac politiorum etiam Auditorum perſuaſionem parum faciunt: 1. Quia debili fundamento fere nituntur, uti Gloſſa, &c. aut falſo, & non raro violentæ admodum traductionis Allegoriam continent; quæ, quum ad ſimilium claſsem referatur, nihil probat.

CCC.

Secundo Scriptura Sacra plerumque Politicas, Hiſtoricas, Naturales, Adiaphoras res narrat potius, quam laudat, vel approbat: igitur, quæ hinc trahuntur, doctrinæ, Inventionis humanæ ſunt, quales vel ex Æneide Maronis eruere poſſim; hoc ſolo diſcrimine, quod illæ ex Antecedenti fide certo, e Fabuloſo ſyſtemate iſtæ petantur.

CCCI.

Tertio Inventiones porro hæ, ſubtiles nimirum, & ingenioſæ, vulgo aut non intelliguntur, aut faſtidii plus, quam vel oblectationis, vel fidei faciunt: qua in re nos Itali, hac præſertim ætate, multum ab Hiſpanis diffidemus, quibus Commenta ejuſmodi mel merum ſunt, & deliciæ.

CCCII.

Quarto, ut horum nihil ſit, certe flumen Orationis, & contextus vehementer interpolatur; longo namque circuitu enarranda Protaſis; Interpretationes, Verſiones, Combinationes variæ recitandæ: quibus rebus Auditor, quo res evaſura ſit, diu incertus, ac ſuſpenſus, tantaque digreſſione ab Orationis curſu diverſus & priorum obliviſcitur, & frigidæ, ac forſan non intellectæ Allegoriæ tædio ſuccumbit: compertum eſt, Figuriſtas hos immaniter ſibi plerumque, plebi núſquam placuiſſe.

CCCIII.

Si etiam probabilitatis aliquid habeant; paucæ ad Dialecticum, aut Theologicum rigorem conſiſtunt: quare, quum ſolidiores amplificandi rationes Oratori erudito deeſse vix poſſint, ecquid ſplendidis his, parumque firmis oneret potius, quam ornet; fuſiorem reddat, non item ampliorem, Orationem?

CCCIV.

Dixi non ferendas Figuras crebriores; nam omnes rejicere inſanum foret, & contra torrentem Sanctiſſimorum, & Doctiſſimorum Virorum nitentis: quidam ſelectam unam pro Exordio collocant. Illud univerſim moneo, aliud eſse commentari, quod ſubtilis Theologi; aliud ad perſuadendum apte dicere, quod pugnacis Oratoris eſt munus.

CCCV.

CCCV.

De SS. PP. gnomis, ſeu ſententiis ita ſtatuo. Sunt hæ duplicis generis: aſſeverant aliæ; aliæ etiam probant, ſeu aliquam ſententiæ ſuæ rationem adferant: neutras agglomerare convenit ei, qui motum ſpectat: minime omnium aſſeverantes illas; idque duas ob cauſſas.

CCCVI.

Primum quia Auctoritate in re liquida opus non eſt: Decalogi autem præcepta, & doctrina morum prope omnis lumini rationis tam eſt congrua, tam explorata, & certa; ut, v. g. *honorem parentibus habendum eſſe*, ne Iroquæi quidem, & Anthropophagi, quin ne ipſe quidem Parricidio accinctus Filius negent, aut negare poſſint. Quid igitur Auguſtini, & decem Eccleſiæ Doctorum, & Senecæ, & Pauſaniæ, & neſcio cujus teſtimonia? Hoc equidem aliud non eſt, ac meridie pleno faculas e virgine cera accendere; teſtibus probare, quod nemo inficietur; cum umbris luctari.

CCCVII.

At vero Cauſſarum, Effectuum, Contrariorum, Conſequentium, &c. frequentatione imaginationem, rationemque impii v. g. Parricidæ ita percellere, ut honeſtatem gratitudinis debitæ bono præſenti, e nece Paterna quæſito, præhabeat, hoc gravis, & Rhetoricæ Amplificationis opus eſt.

CCCVIII.

CCCVIII.

Deinde quia hæc PP. Auctoritas maximæ plebis parti prope incognita eſt; quotuſquiſque enim ſatis intelligit, quid hominis Baſilius, Nazianzenus, Gregorius? qua ætate, doctrina, ſanctitate floruerint? quid Epictetum inter, & Cornelium a Lapide interſit? quid Septuaginta, Pagninus, Vatablus, Biblia Regia, &c.? Id ſummum, & per tenebras agnoſcent; illos nempe e Sanctis quoſpiam, hunc Philoſophum, &c. fuiſse.

CCCIX.

Altera gnomarum ſpecies eſt, quas probantes diximus, quæ haud paullo majorem prioribus impreſſionem faciunt; multas tamen eſse non decet, quia multæ amplificari nequeunt: qui nimii ſunt, perinde faciunt, ac qui telorum faſce hoſtem peteret.

CCCX.

Perſuadeat denique ſibi Eccleſiaſtes, rem ſibi eſse cum hominibus opinione rudioribus. Sapienti pauca; at imperito vulgo nihil non ſatis explicatum, evolutum, præmanſum cenſeat apponendum: quare hic gnomarum exceſsus ſuperfluus eſt, & vitioſus.

CCCXI.

Parum ſane efficiat is, qui, ad virum gravem capitali ſuo hoſti conciliandum miſsus, ſententiarum catenam recitaret

de

de parcendo inimicis. Reſponſum feret: *de hoc Chriſtianum neminem dubitare*; *verum injuriam eſſe graviorem*, *quam ut &c.* tum vero Amplificatio admovenda erit.

CCCXII.

Ex his colliges, ridiculos eſse, quorum primæ curæ in corradendam *qualiumcumque* gnomarum farraginem vertuntur; qui, aſsutis undique his purpuræ fruſtis, bellos ſe, & venuſtos, & perdoctos fore exiſtimant: parum certe intelligunt iſti, in quo germana Eloquentia ſita ſit.

CCCXIII.

Minime omnium tolerabile eſt, qui & prolixas, & crebras ſententias latinas, citationes item faſtidioſas *libri*, *capitis*, *folii*, *verſus*, *editionis*, *circa medium*, *&c.* aggerunt. Ego quidem non aſsequor, quid quarta fere Dictionis pars latina, quid parerga citationum (niſi in re fidei Controverſa.) ad fidem, aut motum faciant; aut qui illud Eloquentiæ flumen non interſiſtatur, attentio frangatur.

CCCXIV.

Exempla alia ſunt Biblica, alia e probatis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptoribus. Biblica tum pro fundamento, tum pro amplificatione, modo ne res alioquin notæ faſtidioſius enarrentur, delibanda potius, & paucis in memo-

riam

riam revocanda, quam enucleatius recenſenda.

CCCXV.

Ex Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, quæ de Primitivæ Eccleſiæ moribus, ritibus, diſciplina, Martyrum geſtis breviter, & generatim adferuntur, dignitatem magnam habent. Ferreorum ſeculorum Hiſtoriolæ graviſſimis Oratoribus non admodum placuere; quare forſan ad Catecheſin reſervandæ ſunt.

CCCXVI.

Etſi porro temperanter adeo figuris Biblicis, Patrum gnomis, Hiſtoricis exemplis eſt utendum; ſi tamen per congeriem, & conglobatim recitentur, neque Orationis alveum interſiſtant; & Elegantiæ plus, & ad perſuadendum roboris haud parum habebunt. Nunc, quem profana eruditio in Sacra Oratione locum teneat, diſquirendum eſt.

CCCXVII.

Aliis igitur profanæ, quas vocant, Eruditiones, e gentium moribus, legibus, &c. natura lapidum, plantarum, animalium, &c. mirandis, phænomenis cæleſtibus, &c. petitæ, paginam utramque faciunt non ſine varietate multa, & curioſi Auditoris oblectatione.

CCCXVIII.

Ad perſuadendum vero vim nihilo majorem obtinent, quam ſimilitudo ſim-

plex, in quam denique reſolvuntur: at, ſi ſimilibus agendum eſt, Biblicis certe figuris uti malim. Celeberrimi Oratorum vano hoc apparatu ſibi penitus interdixere.

CCCXIX.

Quando autem de ſimilibus mentio incidit; valent eadem ad aliquam, argumentis præſertim difficilioribus, lucem adferendam: quia tamen nihil probant, niſi allata ſimilitudinis ratione, in horum uſu parcum eſſe decet pugnacem Oratorem.

CCCXX.

Protaſi ſimilitudinis, uti quæ deſcriptionibus floridis campum magnum aperit, ambitioſius inhærendum non eſt. Qui Symbolis, & Emblematis ſuperbi incedunt, ad Poeſim, & Academiam, bona fide, relegandi ſunt.

CCCXXI.

Quid de Philoſophorum, Poetarum, Rhetorum gnomis ſentiendum ſit, facile judicabis; uti qui Sacras ipſas tam ſevere habuerimus: valent nihilominus aliquando Chriſtianis, quod ſæpe fit, Ethnicorum comparatione, in verecundiam dandis.

CCCXXII.

De profanis Hiſtoriis idem ſtatues, quarum ego in primis Oratoribus nullam legiſſe memini, niſi obiter, aut per

tranſ-

tranſcurſum. Equidem neque ſine utraque eruditione ſapere licet, neque Oratio eſt ſapiens, niſi e ſapiente pectore proficiſcatur: at merces has e Sacro Pulpito venditare eruditi fors hominis, non item prudentis Oratoris eſt.

CCCXXIII.

Pauci ſcioli, qui vel animi cauſsa, aut curioſitatis, aut explorandi Oratoris, in Templo adſunt, tanti eſse non debent; ut, eorum gratia, ab gravitate tua, ab germano Sacri Eccleſiaſtis officio deficias. Nuda, & ſimplex, nec tamen inornata Veritas Regibus perinde, ac Civium ultimis; ſapientibus, ac rudiſſimis placet; dominatur; in amoribus eſt.

CCCXXIV.

Qui utraque eruditione libros ſuos implevere, aliter fortaſse dixerint, aliter ſcripſerint; quodque veroſimile eſt, lectiſſima quæque, ex Orationibus ſuis decerpta, unum in librum congeſserint, piæ, ac innocenti oblectationi ſerviturum: qualiter Aſcetarum fere libros multis ſimilibus, ſacris, profaniſque gnomis confertos videmus; ſed eoſdem de perpetuæ Orationis contextu minime ſollicitos.

CCCXXV.

His itaque aut reſectis, aut temperatis, Amplificatio ſit, qualem alibi deſcripſimus; quæ Argumentum in omnem par-

tem verſet; contrariarum rerum conflictu, cauſsarum, effectorumque enumeratione, &c. rationem ita urgeat, ut Auditor, effugio omni præſtructo, ne, ſi velit quidem, repugnare, aut perſpicuæ veritati non victas manus dare poſſit.

CCCXXVI.

Aut, ut verbis aliis rem eamdem dicamus, ſit ejuſmodi, qualem Cicero, noſtrarum Religionum Myſteriis imbūtus, acrem ſcilicet, ſpiritu, nerviſque validam, continuam, non interpolatam, Forenſi more vehementem diceret.

§. IV.

De Affectibus.

APHORISMUS CCCXXVII.

Videas clariſſimos quoſque, & pugnaciſſimos Oratores non admodum in affectus effundi, perſuaſi forſan, eum, qui fidem fecerit, motum quoque feciſſe; concitatos arte affectus langueſcere, & diſperire; doctrinam in cor intimum receptam ad ultimum ſpiritum inhærere: quare in exclamationibus parci ſunt, rerumque potius gravitate in animos illabi contendunt.

CCCXXVIII.

At enim in populari hac Eloquentia poſt rem firmiter comprobatam, Auditores concitato quodam affectu plerumque ſunt percellendi; ecquid enim pugnet Orator, ni vincere intendit? victoria autem, quod ſæpius memini, in affectu eſt.

CCCXXIX.

Nullus eſt affectus, qui Sacra in Dictione locum non habeat. Percellendi minis improbi; timidi in ſpem erigendi; in amorem alii, alii ad miſerationem impellendi. Curabit autem Orator, ut ne nimius ſit, aut non ſuo loco, aut leviter, aut prætumide paratragœdietur.

§. V.

De Diſpoſitione.

APHORISMUS CCCXXX.

QUum omnis fere Sacra Oratio in loco communi verſetur, & in tanta Sacrarum Dictionum frequentia nova ſemper argumenta, & recondita invenire arduum ſit; ſummus denique decor, novitas, dignitas ab Diſpoſitionis, ſeu Partitionis elegantia accerſendus eſt.

CCCXXXI.

Fuere celebres Præceptores, qui pre-

mendam ſubinde de induſtria Diviſionis rationem cenſerent; a qua ſententia, ob rationes alias allatas, ego quidem ſemper aborrui. Negligitur ab aliis; quia magni eam laboris, meditationis, & judicii, ac fortaſſis ſupra vires ſentiunt: quæ tamen difficultas uſu diuturno, arte quadam, & animi præparatione emollitur.

CCCXXXII.

Duplex eſt Partitio. Alia Orationem in puncta aliquot, ſed *diſparata*, ut ajunt, nihilque inter ſe cohærentia dividit. Alia ordinem quemdam, & *nexum* obſervat. Priorem illam apud permultos Vetuſtiores non ſine laude adhibitam invenies; altera Recentioribus familiarior, elegantior, neque tamen dum ſatis exculta eſt.

CCCXXXIII.

Diviſio, ex ipſius Scripturæ, aut Sanctorum Doctorum gnomis eruta, pulcherrima eſt, eademque textus omnes accurate perpendenti non admodum difficilis: multum item lucis adferet Angelici Doctoris Divi Thomæ opus de Virtutibus, quarum ſagaciſſimam Analyſin conficit.

CCCXXXIV.

In comprobando argumento locum primum occupet Scriptura, præſertim in re difficili, & controverſa. Fortiora in

prin-

principio, mediocria in medium, ſub ſinem robuſtiſſima recipienda alioquin noviſſimum eſt.

§. VI.

De Exordio.

APHORISMUS CCCXXXV.

PRæter Exordiendi modos alibi traditos, ille Sacris Orationibus accommodatiſſimus eſt: ſi propoſitum in primis Evangelii textum paucis declares; dein, qua ratione aſſumptum thema ex eodem deducatur, exponas: quod tanto erit facilius, quo magis ſuapte natura utriuſque inter ſe connexio fuerit.

CCCXXXVI.

Perbreve ſit in hac methodo Exordium, ut accuratæ Diviſioni, aliis aliiſque modis inculcandæ, inhærere amplius liceat.

§. VII.

De Confirmatione.

APHORISMUS CCCXXXVII.

ORatori Sacro numquam ita generalia ſunt pertractanda, quin particula-

ria delibet, quæque ſingillatim agenda, quæ vitanda deſignet.

CCCXXXVIII.

In eam rem multum proderit hominum animos, conſilia, intimorum arcana ſenſuum, Civitatis ſuæ mores, conſuetudines, opiniones penitiſſime perſpectas habere: talis notitia e prudente cum omnis generis hominibus conſuetudine, ac præſertim nativa quadam hominum animos explorandi ſagacitate comparatur. Miratur Auditor, & æſtimat, quum imas ſibi fibras, neque ipſimet ſibi ſatis hactenus perſpectas, tam dextre moveri ſentit.

CCCXXXIX.

Lecta inſuper media, rationeſque cum exercendæ Virtutis, tum Vitii devitandi, ſeu poſt argumenta ſatis firmata, ſeu per totum Orationis contextum, quum res feret, ſuggerenda.

§. VIII.

De Elocutione.

APHORISMUS CCCXL.

Elocutio ſit propria, pura, minime affectata, aut fracta; verbo talis, quali Vir gravis, in *Senatu* de maximo negotio acturus, aut pius *Sacerdos*, privata

vata allocutione compertæ Luxuriæ hominem ad frugem reducturus uteretur; quorum uterque non minus mutuatis floſculis neſcio quibus, quam frigidis de Aſtyanacte, Theſeo, Pompejo, &c. eruditiunculis abſtinendum ſibi cenſeret.

CCCXLI.

Ad comparandam proprietatem, puritatem, elegantiamque vernaculi Idiomatis lectiſſimi quique libri tum ſoluta, tum ligata Oratione adhibendi ſunt; modo caſti ſint, nec moribus noxam adferant, dum linguam perpoliunt.

CCCXLII.

Pronunciatio non ſtillatim, & multis morulis interpoletur; ſed profluens, expedita, modice incitata præplacet. Actio contra ne comica ſit, aut hiſtrionica. Geſtus omnis, qualis gravem Doctorem, & de rebus maximis diſſerentem decere poſſit.

CCCXLIII.

Poterunt nihilominus modeſta ingenii lumina, argutiarum condimenta refocillando Auditori concedi; non item factæ ad riſum ciendum facetiæ, quæ & in ſcurrilitatem fere degenerant, & majorem Oratori, quam meliorem, famam conciliant.

CCCXLIV.

Adjumenta memoriæ ſunt 1. Si animo pacato, nulliſque perturbationibus obno-

xio ediſcas; 2. Si apte diſpoſitam, ſuiſque nexam vinculis Orationem; 3. Si memoriales, ut ita dicam, quaſdam notas margini appingas, ut, quum de navigatione dicendum, anchoram, &c. 4. Si præcipua capita, verſibus memnoſynis comprehenſa, frequenti ſcriptitatione memoriæ defigas; 5. Si per partes; 6. Si matutino tempore, aut ante ſomnum. Vide, ſi lubet, Artem Memoriæ, a Jo. Brancaccio vindicatam, &c.

CAPUT VII.

De Oratione Sacra Panegyrica.

APHORISMUS CCCXLV.

SAcri Panegyrici alii ſunt ordinarii per annum, ut in Feſtis Domini, Virginis, Sanctorum; alii extraordinarii, ut in Feſtis Sanctorum Fundatorum, Patronorum, Dedicationum Eccleſiæ, &c. alii denique in Solemnitatibus publicis, Supplicationibus, Euchariſtici, Principum Funebres, &c.

CCCXLVI.

In Feſtis Domini, ac Virginis occurrentia Fidei Myſteria plerumque ſunt exponenda, eorumque explicatio e Theologia, iiſque, qui Chriſti vitam conſcripſere, uti & e ſecundo Tomo Eximii

Doctoris Soarezii in 3. p. Sancti Thomæ petenda. Popularis rerum tam abditarum explicatio multi laboris eſt, & artificii: itaque & ſimilibus non parce, & longiore verborum ambitu erit utendum.

CCCXLVII.

Porro, ut ne ſuo fructu careat ſubtilis explicatio, Moralis doctrina adjungenda erit; ſed quæ ex ipſa Myſterii ratione ita enaſcatur, & profluat, ut illud argumenti, ac probationis partem faciat: quamquam & Amplificatione, & argumentis aliis, ad rem facientibus, uti licebit.

CCCXLVIII.

In vulgaribus SS. Feſtis vel ex eorum vita, aut vitæ parte illuſtriore commode Thema deſumetur; aut, ſi hæc ſtabilia ſint, Evangelio plane inhærebitur. Nullus Sanctis cultus acceptior, ac quo ad ſimilium veſtigia Virtutum ſectanda pellicitur Auditor. Si in Oratione tali, exemplo utendum ſit, illud e Sancti vita potius, quam aliunde, repetetur.

CCCXLIX.

In extraordinariis obſervanda ſunt omnia, alias de Panegyrico dicta; hoc ſolum diſcrimine, quod & Thema, & Thematis Diviſio e Scripturis petita, & comparationes, & reliqui ingenii luſus dignitatem majorem habeant: nullus autem ſit Sacer Panegyricus, in quo, præ-

cipue ante Perorationem, Moralis doctrina non pertractetur.

CCL.

Cavendum item, ne Academice nimium, aut Scenice dicatur. Grandis illa de Sancti Virtute exiſtimatio nequaquam inter cerimoniarum inania, ſed inter conſtituta a Deo ſalutis noſtræ adjumenta reputanda eſt: æſtimatio namque fiduciam, fiducia gratiam operatur.

CCCLI.

Illud univerſim de Sacra Oratione firmum, certumque teneto: eam fore optimam, quæ Scripturæ, Patrumque argumentis ita utatur, ut juſtæ Diſputationis robur, & Amplificationis Rhetoricæ perpetuum contextum retineat.

LIBER QUARTUS.

De Hiſtoria Scribenda, & Diſcenda.

CAPUT I.

De Hiſtoria Scribenda.

APHORISMUS CCCLII.

EXtat ab Scioppio, homine fœdiſſimo, pulcra Hiſtoriæ definitio, qua Ars hæc omnis plene, plane continetur: *Eſt autem Hiſtoria* (Gaſparis verba ſunt.) *rerum geſtarum, & cauſſarum, propter quas, & per quas geſta ſunt, vera, libera, & malignitate vacans Narratio; quid in vita, maxime civili, faciendum, fugiendumque ſit, ſermone brevi, ſed perſpicuo, & puro, præmonſtrans.*

CCCLIII.

Conſtat porro *rebus*, & *verbis*. Ratione rerum duplici fungitur officio: *narrat*, & *docet*. Narrat 1. Res geſtas. 2. Rerum geſtarum conſilia, quæ anima ſunt Hiſtoriæ; niſi enim, quo propoſito, qua intentione, queis finibus geſtum ſit

quidlibet, aperias; oblectabis nonnihil, non item, quale in re ſimili, quaque ſpe conſilium capiendum ſit, docebis. 3. Per quos, & quomodo res geſtæ ſint; modo id ad rem faciat, aut aliquam humanæ vitæ utilitatem adferat: hinc omittendæ pompæ, itinera, &c.

CCCLIV.

Narrationis tres ſunt virtutes: *Veritas*, *Libertas*, *Humanitas*. Veritas, ut ne quid falſum pro vero, aut non ſatis exploratum pro certo venditet: in re dubia Auctorum nomina adjicere expedit. Libertas, ne quid, vel aſſentandi ſtudio, vel offenſæ metu prætermittat, quod quidem memoria dignum, aut Poſteritatis intereſſe videatur. Humanitas, ut ne, Taciti exemplo, conſilia in deteriorem partem, ſeu intentionem maligne detorqueat.

CCCLV.

Docet item Hiſtoria, quid belli, paciſve tempore agendum, ſeu fugiendum; laudando nimirum recte facta, vituperando imprudentium, aut improborum hominum conſilia. Ratio docendi ea probatur, quæ nec latius, Ethici inſtar Philoſophi, excurrat; nec conſtricta ſit nimium. Qualis vitæ Magiſtrum Hiſtoricum decet, apta ſit, & in paucas gnomas compacta Oratio. Importuna Sententiarum aggeries, ſi quid aliud, juventutem ſpirat.

CCCLVI.

CCCLVI.

In verbis obſervanda ſunt tria: *perſpicuitas*, *puritas*, *brevitas*; quum enim temporum lux Hiſtoria ſit, nihil ab ea eſt alienius obſcuritate: ſit itaque ſine ſalebris, translationibus, ornatu immodeſto, ſine omni ambiguitate, plana adeo, ut nulla in re offendat properantem, ut facile a quovis, vel per tranſcurſum audiente, intelligatur. Hac virtute lacteus, & limpidiſſimus Livius excellit; contra Cornelium Tacitum quemdam Hiſtoricorum Perſeum jure merito dicas.

CCCLVII.

Puritas in eo ſita eſt, ut ne Barbariſmis, Archaiſmis, Neoteriſmis, minime omnium Idiotiſmis inquinetur Oratio: ſat ornata ſit, ſi ſat pura; curandumque, ut non tam venuſtas alliciat, quam ut ne ſermonis lutulentia abſterreat Lectorem. Multi ſunt optimi ſenſus, ſed ferrei ſtili Hiſtorici, fortaſſe inter Principes futuri, ſi rerum dignitatem verborum nitore aſſecuti forent. Si aſſurgit quandoque Livius; aut deſcribit, aut Orationem pangit: quibus in locis paullo plus licet.

CCCLVIII.

Brevitas in eo conſiſtit, ſi reſcindantur adjuncta inutilia, excurſus Oratorii; preſſa, ac veluti carnoſa ſit Oratio. Ad Brevitatem Participiorum, & Ablativi ab-

ſoluti uſus multum confert; quod monitum quia tibi pro omni ſcriptione commendatiſſimum cupio, paradigma VVagnerianum accipe:

Fuit quidam Rex, qui legem tulit, quod quicumque ſubito mori deberet, mane ante ortum ſolis, ante domum ejus, tubas canerent; & ſtatim talis veſtibus nigris ſe indueret, & ſic ad judicium properaret. Idem Rex magnum convivium fecit, & omnes Satrapas Regni vocari fecit; qui & venerunt. Erant hic omnis generis Muſici, qui ex ſuavi melodia magnum ſolatium convivis fecerunt: Rex vero nullum lætitiæ ſignum oſtendit, & vultum triſtem habuit, & ſuſpiria emittebat. &c.

Diſtenta hæc potius, quam amplificata, narratio, ſola Participiorum elegantia, & Ablativorum abſolutorum uſu, omiſſiſque, crebris illis particulis *&*, *quod*; tum Relativis *qui*, *quæ*, *quod*, *&c.* vide, quam longe aliam ſpeciem nunc præferat. Lege:

Rex quidam legem tulit, ut quibus ſubito moriendum eſſet, tubis ſummo mane ad domum canentibus, pullis induti ad judicium properarent. Idem Rex evocatos omnes Regni Satrapas magno convivio excepit; ſymphoniacis ſuavi melodia convivas recreantibus, unus nullo oſtenſo lætitiæ ſigno, fronte contracta, ſuſpiriis indulgebat.

Quan-

Quanto rerum ubertas major, tanto adſtrictiorem eſſe ſermonem convenit: obſerva Orlandinum, Maffejum, Gratianum, puriſſimos eoſdem, & perſpicuos maxime, nec effuſos nimium, ac Veteribus, ſolis annis, inferiores. His paucula quædam adjicio.

CCCLIX.

Qui ad Hiſtoriam adgrediatur, hunc ita comparatum eſſe oportet. 1. Hiſtoriam univerſalem teneat, ſine cujus notitia nihil rite judicare, nihil docere, nihil, abſque errandi periculo, moliri poſſit. 2. Politices ſummam ex Ariſtotele, Lipſio, &c. hauriat. 3. Publici juris, legum fundamentalium, pactionum, &c. 4. Bellicæ Artis, & Architectonicæ ne ſit rudis.

CCCLX.

Quinto Chronologum, qui extet, accuratiſſimum deligat, quem ſequatur; ni extet, certam temporum rationem ſuo marte conſtituat. 6. Genealogiam item, cujus in re Hiſtorica uſus eſt ampliſſimus, aut ipſus conficiat, aut confectam ad manum habeat. Super his non abſque fructu Langletum conſules.

CCCLXI.

His inſtructus Facultatibus primum omnium ſui argumenti, aut vicinarum gentium Scriptorum indicem ſibi pleniſſimum comparet. At enim hic ſcopulus

eſt,

eſt, in quem præclara ingenia impingi neceſſe eſt. Qui librorum penuria, & literariæ Hiſtoriæ defectu laborat, huic aut Mæcenate aliquo, aut Prælatorum ſingulari favore, ac Literatorum Virorum conſilio, opibuſque nitendum eſt.

CCCLXII.

Sciat, quo quis ævo ſcripſerit, eodemque ordine ſingulos pervolvat ita, ut ſingula in excerptorum Codicem, & Adverſaria accurate referat. E notioribus quidem, & quorum vulgo copia eſt, libris Lemmata dumtaxat; ex iis, quos commodatos habet, ſynopſin negotii, aut rei cujuſque, magno judicio, adſcribat. Hic excerptorum liber foliis tot, aut, prout res tulerit, pluribus conſtet, ac annos ſibi deſcribendos ſumpſerit.

CCCLXIII.

Hic excerpendi, adnotandi, ſupellectilem conficiendi labor indies continuari poterit. Qui opera aſſidua uſus fuerit, is molem rerum, opinione majorem, nec ſentienti, ac prope ne laboranti quidem ſub manu excreſcere ſentiet.

CCCLXIV.

Peracta in hunc modum Inventione, ad Diſpoſitionem progredere; cujus in re Hiſtorica fortaſſe major, quam in Oratione dignitas, & uſus eſt. Quum in eumdem annum negotia plura incidant, notulis quibuſdam deſignabis, quid pri-

primo, ſecundo, tertio loco enarrandum: quin & ſingula negotia ſuis partibus; initio nempe, progreſſione, adjumentis certis, ac impedimentis conſtant; quæ apte partiri non levis laboris eſt. Excellit hic Polybius, & Strada.

CCCLXV.

Quum ad opus manum admoveris, rudi primum ſtilo, de ſententia unice ſollicitus, rem totam in chartam conjicies, idque vernacula fortaſſe, (quando latine ſcribendum ſit.) ne e prima hac delineatione cruditatis quid in Elocutionem adhæreſcat. Intelligat autem Hiſtoricus, primam hanc operis deformationem, cura, ſtudio, judicio maximo, ſibi faciendam, ſaleque fore opus; qualiter enim hæc prima cogitatio ceciderit, (mutandi, reſcribendi, corrigendi labor in magno opere longe moleſtiſſimus eſt, & ſpiritum vehementer frangit, & ad damnanda laborioſa cœpta ſubinde impellit; itaque nec liturarum, nec chartæ parcus ſit.) tale opus futurum eſt.

CCCLXVI.

Graviorum Controverſiarum capita inter ſe probe examinanda; Critici conſulendi; ac plerumque a Synchronorum, ac probiorum Auctorum ſententia decidendum; aut res integra relinquenda erit. Deſcriptiones Regionum, &c. Orationes, &c. aliquanto plus curæ, ornatuſque admittunt.

CCCLXVII.

CCCLXVII.

In Elocutione, ac perpolitione ipſa obſervet, quæ ſupra de Perſpicuitate, Puritate, Brevitate tetigimus. Laborem hunc multum levabit, ſi rerum in Hiſtoria frequentius occurrentium, ut *præliorum*, *obſidionum*, *&c.* uti & *tranſitionum*, *&c.* ſilvam quamdam ſibi e Vetuſtis, ac Recentioribus confecerit; quod alias de Oratione Sacra meminimus.

CCCLXVIII.

Eadem, quantumvis paullum immutata, methodo uteris, ſi ad aliud Facultatis genus; ut Antiquariam, Criticam, Commentatoriam, Poeticam, &c. animum adjeceris.

CAPUT II.

De Hiſtoria Diſcenda.

APHORISMUS CCCLXIX.

INter præſtantes duos Theologos, Philoſophos, quorum Hiſtoriæ alter egregie peritus, rudis ſit alter, magnum diſcrimen intereſſe, certum, indubitatumque eſt. Erit is & ceteris rebus par, & in agendo providentior, & in Cathedra ſolidior, & in inveniendo copioſior, & ſibimet jucundior, & ceteris gratior, & in literis perſpicacior, & in negotiis

pru-

prudentior. Regum hoc, & Principum ſtudium eſt, quo ſolo, quantumvis ceteris Artibus defectus, multis ſe rebus idoneum quis reddat.

CCCLXX.

Neque eſt, quod rerum multiplicitate abſterrearis, quando & memoriæ ſolius opus eſt, atque velut aliud agenti per otium obvenit; & e ſeverioribus ſtudiis, e ſacris pro animorum ſalute curis, e ceteris demum gravioribus exercitationibus veluti ruſticatio quædam eſt, & animi jucundiſſima relaxatio. Magnis animis cœpiſſe prope dimidium eſt itineris, etſi magni.

CCCLXXI.

Geographia, & Chronologia, velut duo Hiſtoriæ oculi, miram facilitatem vel adoleſcentulis præſtant. E Chronologia Epochæ dumtaxat præcipuæ, ac ſors carminibus memnoſynis incluſæ, memoriæque mandatæ ſufficiunt. En qua ego ratione præcipuas ab Orbe Condito ad Chriſtum edidicerim.

Diluvium mill. ſexcent. quinquageſime ſexte.
Lingua mill. octingent ſeptuageſimus octo.
Natales Abraha bis mill. novem atq; triginta.
Εἴσοδος *in bis mill. tercentis undetriginta.*
Εἴξοδος *in bis mill. quingent. quatuor quadraginta.*
Saul bis mill. nongent. cum ſexaginta duobus.
Ter mill. viceni tres dant Salomonica Templa.

Ter

Ter mill. quadringent. quadragint. ſex captus Iudas.
Ter mill. quingentis ſedecim fit liber Iudas.
Ter mill. octingent. ſex octuagint. Sacra vaſtat.
Mille quater, tres quinquaginta Chriſtus Ieſus.

Ad hunc tu modum, vel faciliorem, ſi occurrerit, profanas, ceteraſque Epochas memoriæ commendabis. Geographia vero, crebra Tabularum contemplatione, Regionibus, Fluminibus, Maribus ſummatim notatis, abunde diſcitur.

CCCLXXII.

Lipſianæ methodi, etſi paſſim in manibus eſt, ſumma capita adſcribo. 1. Univerſalis Hiſtoriæ Compendium quoddam præmitti vult, qua in re omnes conveniunt. Quæ vulgo teruntur elegantiſſimæ Epitomæ, in Auctorum Indice, ad calcem opuſculi Mabilloniani de Studiis Monaſticis, uti & in altero Langleti de Hiſtoria diſcenda tomulo, in Fabricii Bibliotheca, & in alia Nicolai Franciſci Haym, Italice Venetiis apud Angelum Hieremiam anno 1728. edita, fuſe reperies.

CCCLXXIII.

Secundo, ut facile, & cito, & utiliter pelagus magnum trajiciatur, duo deſiderat: *Ordinem*, & *Attentionem*. Ordo in eo eſt, ut ne temere, & ſine delectu ab Auctore ad alium tranſiliatur; ſed, quo ſcripſere, temporum ordine, ſingillatim

tim perlegantur: quod pariter ex ante laudatis Auctoribus condiſces. Attentio in eo verſatur, ut & attente, penſate, lente feſtinetur lectio, &, quæ uſui olim eſſe poſſint, excerpantur.

CCCLXXIV.

Excerpta vero hæc ad quatuor Claſses refert. 1. *Memorabilium*, qualia ſunt eventus rari, Regni potentia, privationes, opera, & quidquid admirabilitatem habet. 2. *Ritualium*, Inſtituta ſcilicet, Ritus publici, vel privati variarum Nationum. 3. *Civilium*, quæ vitam, mores, regimen, & quidquid ad hominum ſocietatem ſpectat, concernit. 4. *Moralium* ſeu Exemplorum, ſeu Sententiarum.

CCCLXXV.

Pro quatuor his titulis totidem ille Adverſariorum libros confici præcipit: titulos porro ſingulos accurate ſubdividit, uti ex ipſa ejus Epiſtola pluribus diſcas. Multiplicem hanc, & minutam ſubdiviſionem ego quidem non probo, quod excerpendi laborem, difficilem alioquin, impeditiorem reddat, & lentiorem. Addit demum Lipſius, Hiſtoriam univerſalem, quo ipſe deſignavit modo, triennio abſolvi poſſe.

CCCLXXVI.

Ego de hac methodo ſic ſentio: homini vacuo, libero, & hoc unum agenti nihil ſapientius præſcribi potuiſse: at

in

in noſtra, quæ ſeverioribus ſtudiis, ſubindeque Eccleſiæ obſequiis addicta eſse debet, vivendi ratione ſtadium hoc triennio decurri non poſse: quin adeo totius ſexennii, aut ſeptennii ſcholaſtici, ac poſt annorum fors aliquot ex iis, qui animarum ſaluti, aut Diſcipulis inſtituendis dicari ſolent, ſecundas curas huc conferendas exiſtimo.

CCCLXXVII.

Igitur hactenus eram in ſententia, ordine quidem, ſed properato, ſine excerpendi labore, legendum. Eum, qui in memoriæ penum illam lecta intulerit, eruditum utcumque fore, iiſque, quos recenſuimus, utiliſſimæ Scientiæ fructibus abunde potiturum.

CCCLXXVIII.

At enim mihi nunc uſuvenit, quod Cauſabono, Sturmio, aliis; quibus vehementer dolebat, nihil abs ſe in juventute adnotatum: nam & paucorum memoria tam eſt felix, ut ei tantæ opes tuto credantur, & ſunt in excerpendi ſtudio multa commoda; nam & legentis attentionem provocat, & ſcriptio ipſa cum intelligentiam, tum memoriam juvat; eſtque certiſſimum oblivionis remedium.

CCCLXXIX.

Igitur ita ſtatuo: ea ſaltem excerpenda, quæ ad cujuſque deſtinata, fines,

mo-

molitionem faciant: uti, qui Hiſtoriam certæ gentis moliatur, non modo res, ſed Phraſeologiam, Tranſitiones, & reliqua Hiſtoricæ Elocutionis propria adnotet; ſed breviter, ac fere per Lemmata, præſertim e libris, quorum paſſim eſt copia. Certe generalia illa *memorabilium*, *rituum*, &c. tum ab Lipſio ipſo, tum innumeris aliis edita ſunt; actumque fere agat, qui eodem curas verteret.

LIBER QUINTUS.

CAPUT UNICUM.

De Vera, Variaque Eruditione Comparanda.

APHORISMUS CCCLXXX.

IN hoc, quod profitemur, Eccleſiaſticæ vitæ genere Theologiam tam Scholaſticam, quam Caſuiſticam; &, quæ his viam ſternit, Philoſophiam; Rhetoricam demum Sacram omnibus, ac iis præſertim, queis animarum cura demandatur, maxime neceſſariam, primas tenere, nemo noſtrum ambigit: illis vero, etſi totum hominem ſibi vendicent, Variæ Eruditionis ſtudium adeo non excluditur, ut multi Viri Clariſſimi utrumque Literaturæ genus ſic præclare conjungant, perinde quaſi utrique ſe totos ex æquo dediſsent.

CCCLXXXI.

Ut Severiores illæ Facultates ſunt, paucis in eo curriculo eminere conceſsum: hic proinde in magnas laudes campus patet ampliſſimus; & jucundum erit emeritis, queis adoleſcentiam aluerant ſtudiis, ſenectutem oblectare; animum multarum rerum cognitione turgidum in amœniora

hæc

hæc laxare; veluti poſt contentioſæ vitæ forenſia certamina in Tuſculano hoc acquieſcere.

CCCLXXXII.

Veræ Eruditionis nomine accipio quidquid Facultatum extra Grammaticæ, Poeticæ, Rhetoricæ, Philoſophiæ, ac omnis Theologiæ ſepta ſitum eſt: non equidem ut exhauriamus ſingulas; (breviores ætatis, ingeniique limites nobis fixit Deus.) ſed ſumma minimum, primaque cujuſvis capita non obiter delibemus. Has inter primum locum tenent Civilis Hiſtoria cum Naturali, Mathematica, Juridica, Medica; ſecundum ut adeo nihil in quæſtionem cadat, de quo Vir Eruditus non ſapienter judicet, & ubertim loquatur.

CCCLXXXIII.

Nec animi dumtaxat, honeſtiſſimæque oblectationis cauſſa per Scientias vagandum ſibi quiſquam exiſtimet: deligat adeo Facultatem quamdam, in qua excellere adlaboret, ad quam viribus omnibus incumbat; atque ad hanc ceterarum Artium ſubſidia referat: dominetur una; famulentur ceteræ: patebit inde, quam falſum ſit illud Heracliti: *Πολυμάθιν νοὸν ὐ διδάσκει*· Et quam contra vero conſonet celebre illud Ariſtotelis effatum lib. 1. Anal. Poſter. *Ἐπικοινωνῦσι πᾶσαι αἱ ἐπιστήμαι ἀλλήλαις.* Itaque vel Sacram, vel Profanam Hiſtoriam; Scholaſticam, ſeu Eccleſiaſticam

G 2 Rhe-

Rhetoricam; Antiquariam, Criticam; Poeticam complexus fuerit; quidquid in ceterarum ambitu Scientiarum huc facit, præ ceteris & diſcendum eſt diligentius, & adnotandum. Neque hæc, cui te addixeris, Facultas generatim tantum perſequenda eſt; ſed opus aliquod deſignandum, quod perficias; in quod vitæ, temporiſque particulas omnes conjicias; pro quo ab ipſa juventute penum congeras; Adverſaria conficias; quid ea in re præſtiterint alii, advertas. Graviori ætate fruſtra magnum quid moliare: quanto te judicio confirmatum magis, tanto viribus, animiſque debiliorem ſenties, ac fortaſſe neque per negotia ad difficiles labores otium erit.

CCCLXXXIV.

In hujus porro operis delectu, maturo conſilio opus: conſulenda in primis ipſa Ingenii propenſio, nativo plerumque pondere in partem certam inclinantis; tum Vir, Literarii ſtadii vetus, & ingeniorum probus Æſtimator, in cujus denique judicio acquieſcendum. Conſtituta vero operis materia, utendum erit conſtantia, neque recedendum a propoſito, ſi vel meliora ſe in ſpeciem oggerant: mutando, alia ex aliis moliendo, nihil ad maturitatem perducitur; anni ſubinde, & ætas labitur.

CCCLXXXV.

CCCLXXXV.

Non inde aut Sacris curis, aut ſtudiis ſeverioribus detractum quidpiam, aut labore nimio te oppreſſum volo; verum, ut rejectitia alioquin tempuſcula utiliter colloces, hoc contendo. Nemo non libellum volvit; hæc, illa delibat; nemo ſeniorum, qui non librorum ab ſe lectorum catalogum bene longum recitare poſſit: ſed diſparata fere leguntur, & ſine delectu, & uti fortuito in manum irrepſerit liber. Ego a te peto, ut judicio legas; quæ legeris, ad finem unum; ad ejus, quam ſectaris; ejus, quod meditaris, operis perfectionem referas; neque ut plus aliis, ſed aliter labores: ambulant alii ſe oblectandi cauſſa; tu, præter oblectationem, metam aliquam, & utilitatem ſectare. Hujus moniti defectu quot capaciſſima ingenia, nullo in literariam rem fructu, ignobiliter, proh dolor! extinguuntur.

CCCLXXXVI.

Norunt experti, quantæ opes, provido hoc, parvoque tempuſculorum uſu, parari poſſint. Tentando Trojam venere Græci: tentantibus, ac pedetentim progredientibus opinione facilior obvenit Sapientia. Spondere auſim, etiam ab mediocri ingenio, iſtoc aſſiduitatis artificio, magna confieri poſse, ac illuſtria: animus namque in rem unam intentus, famæ inſuper ſpe, & ipſa laboris dignitate inca-

leſcens, uſque fertur incitatius, itaque defigitur, ut honeſta ipſa, & Eccleſiaſticæ etiam vitæ oblectamenta deſipiant. Ergo & Doctrina, & Religio junctis dextris ſibi, quod ſorores ſolent, operam accommodabunt.

CCCLXXXVII.

Hoc porro, quale delineavimus, Veræ Eruditionis ſtudium animos ſibi magnos, nobiles, audentes depoſcit; qui nihil humile animo deſignent; ſed moliri aliquid ad poſteritatis memoriam, & Eccleſiaſtici Ordinis noſtri famam inſigne. Cenſeant ſe quoque homines eſse: quoties magnorum Virorum opera obeunt, reputent ſecum; num æquari ab ſe laudes eorum, ac ſimile quid perfici poſse exiſtiment, ſi animus, & opportunitas foret. Eſt hoc honeſtæ gloriæ ſtudium, haud ſecus ac cibi appetentia, a Deo inſitum; ſine quo nemo grandius quid cœpit, aut abſolvit; ſine quo ægre abs te obtineas, ut ne alienæ deſidiæ veluti contagio afflatus ab generoſis conſiliis deſciſcas. Eſt idem, modo in Deum deſinat, & laudabile, & ſuapte natura honeſtiſſimum.

CCCLXXXVIII.

Ut externa quoque ſtudiorum tuorum præſidia, Patronos, Mæcenates accerſas; quorum opibus, ac auctoritate deſtinata tua tuearis, duo obſervanda. Alterum ut quidquid publice voce, vel ſcri-

pro vulgandum, leve quantumlibet, & conſuetum, ita elabores, velut in celeberrima doctiſſimorum hominum, aut Principum Virorum Panegyri, coram ſapientiſſimis arbitris, recitaturus eſſes; quod idem de privatis in Gymnaſio exercitationibus intelligas velim. Cura hac neceſſariam ſtudiis tuis famam paries, & æſtimationem; cujus ardua eſt cuſtodia. Si per temporis anguſtias expolire quidpiam nequeas, aut nolis; cave, ne tuo nomine lucem videat.

CCCLXXXIX.

Alterum eſt, ut, emiſſo in lucem parvo, ſed egregie elaborato, opuſculo expectationem aliquam moveas: certe, ut rerum omnium, ſic famæ tenuia ſunt principia. Velitandum ante, quam aperto Marte confligas, & parvo in flumine exercenda phaſelus, dum in altum procurras. Celeberrimi Viri humili in argumento magnis deſtinatis præluſere: nempe ſuſpicionem audacia movet, nec fidem ceperit, qui repente proſiliat; contra qui in parvo excellat, majoribus par reputatur.

CCCXC.

Duo quæpiam ad extremum mihi admonendus es. Primum ut, quaqua in Facultate animum exercueris, Claſſicos illos Veteres, omnis Sapientiæ Magiſtros, ſingulari ſtudio pervolutes. E Recentiori-

ribus illi inclaruere maxime, qui ad illos acceſſere proxime, non acceſſuri, niſi in illis egregie verſati ſolidæ Eruditionis hoc fundamentum jeciſſent. Qui in Recentioribus hærent, hallucinantur denique, ſeroque errorem deplorant: e Veteribus illis, præter Artis apicem, rerum quoque notitia venit. Qui Homerum, Tragicoſque Veteres percurrerit, nihil fere in omni Mythologia ignorare poteſt.

CCCXCI.

Ceterum qua ratione Claſſici Neotericis, eadem Græci ante Latinos legendi ſunt: quare, ni Græcanici ſermonis peritia aliqua polleas, dicere auſim, inter Eruditorum ſubſellia locum abs te nullum umquam obtinendum. Verſa quidem ſunt in Latinam linguam Græcorum Opera prope omnia; at, boni Superi! quanta inter Auctores, ac Interpretes, quam ingens ſæpe diverſitas! Utut curioſiſſimi fuerint iſti, ut illorum ſuccum, ac ſpiritum non deperderent, ſermonis tamen genus variatum conatus magna ex parte, ac ſolicitudinem deluſit. Cuivis linguæ propria ſunt loquendi genera, propriæ ſententiæ: immuta paullulum, & faciem aliam, coloremque cum ſermone res ipſa habitura eſt: jacet tamen hoc ſtudium apud pleroſque, & tranſlatæ Orationis fiducia freti puriſſimos il-

los fontes negligunt; etſi acceſſus illuc pateat, & non ſic, atque vulgo putatur, difficilis.

CCCXCII.

Secundum, in hac tanta contentione *Animum liberum, Corpus firmum* ſervare ſtudeas. Libero eris animo, & tranquillo, ſi rei domeſticæ curas, quæ florem temporis fere eripiunt, abs te relegatas in fidum aliquem tranſtuleris; nec animi relaxationibus neſcio quibus aſſueveris: mentis nubes, amica, erudita confabulatione, diſſipantur. Corpus firmum ut retineas, cave, ne labore nimio vires impares oneres; præſertim a prandio, & cœna ne cui mox meditationi vaces; aut de ſomni dimenſo quid detrahas. Utere viciſſim commotione crebriore; per quam & nervi exercitatione firmantur, & ſpiſſior ſanguis diluitur, & collecta pituita ſudore digeritur. Obſerva, quodnam morbi genus tibi præ ceteris metuendum, & initiis obſta. Graviore ætate familiare medicamentum, & facile per certa intervalla adhibe; ſed citra anxietatem, & ſuperſtitionem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

in noſtra, quæ ſeverioribus ſtudiis, ſubindeque Eccleſiæ obſequiis addicta eſse debet, vivendi ratione ſtadium hoc triennio decurri non poſse: quin adeo totius ſexennii, aut ſeptennii ſcholaſtici, ac poſt annorum fors aliquot ex iis, qui animarum ſaluti, aut Diſcipulis inſtituendis dicari ſolent, ſecundas curas huc conferendas exiſtimo.

CCCLXXVII.

Igitur hactenus eram in ſententia, ordine quidem, ſed properato, ſine excerpendi labore, legendum. Eum, qui in memoriæ penum illam lecta intulerit, eruditum utcumque fore, iiſque, quos recenſuimus, utiliſſimæ Scientiæ fructibus abunde potiturum.

CCCLXXVIII.

At enim mihi nunc uſuvenit, quod Cauſabono, Sturmio, aliis; quibus vehementer dolebat, nihil abs ſe in juventute adnotatum: nam & paucorum memoria tam eſt felix, ut ei tantæ opes tuto credantur, & ſunt in excerpendi ſtudio multa commoda; nam & legentis attentionem provocat, & ſcriptio ipſa cum intelligentiam, tum memoriam juvat; eſtque certiſſimum oblivionis remedium.

CCCLXXIX.

Igitur ita ſtatuo: ea ſaltem excerpenda, quæ ad cujuſque deſtinata, fines, mo-

molitionem faciant: uti, qui Hiſtoriam certæ gentis moliatur, non modo res, ſed Phraſeologiam, Tranſitiones, & reliqua Hiſtoricæ Elocutionis propria adnotet; ſed breviter, ac fere per Lemmata, præſertim e libris, quorum paſſim eſt copia. Certe generalia illa *memorabilium*, *rituum*, &c. tum ab Lipſio ipſo, tum innumeris aliis edita ſunt; actumque fere agat, qui eodem curas verteret.

LIBER QUINTUS.

CAPUT UNICUM.

De Vera, Variaque Eruditione Comparanda.

APHORISMUS CCCLXXX.

IN hoc, quod profitemur, Eccleſiaſticæ vitæ genere Theologiam tam Scholaſticam, quam Caſuiſticam; &, quæ his viam ſternit, Philoſophiam; Rhetoricam demum Sacram omnibus, ac iis præſertim, queis animarum cura demandatur, maxime neceſſariam, primas tenere, nemo noſtrum ambigit: illis vero, etſi totum hominem ſibi vendicent, Variæ Eruditionis ſtudium adeo non excluditur, ut multi Viri Clariſſimi utrumque Literaturæ genus ſic præclare conjungant, perinde quaſi utrique ſe totos ex æquo dediſsent.

CCCLXXXI.

Ut Severiores illæ Facultates ſunt, paucis in eo curriculo eminere conceſsum: hic proinde in magnas laudes campus patet ampliſſimus; & jucundum erit emeritis, queis adoleſcentiam aluerant ſtudiis, ſenectutem oblectare; animum multarum rerum cognitione turgidum in amœniora

hæc

hæc laxare; veluti poſt contentioſæ vitæ forenſia certamina in Tuſculano hoc acquieſcere.

CCCLXXXII.

Veræ Eruditionis nomine accipio quidquid Facultatum extra Grammaticæ, Poeticæ, Rhetoricæ, Philoſophiæ, ac omnis Theologiæ ſepta ſitum eſt: non equidem ut exhauriamus ſingulas; (breviores ætatis, ingeniique limites nobis fixit Deus.) ſed ſumma minimum, primaque cujuſvis capita non obiter delibemus. Has inter primum locum tenent Civilis Hiſtoria cum Naturali, Mathematica, Juridica, Medica; ſecundum ut adeo nihil in quæſtionem cadat, de quo Vir Eruditus non ſapienter judicet, & ubertim loquatur.

CCCLXXXIII.

Nec animi dumtaxat, *honeſtiſſimæque* obleẞationis cauſa per *Scientias* vagandum ſibi quiſquam exiſtimet: deligat adeo Facultatem quamdam, in qua excellere adlaboret, ad quam viribus omnibus incumbat; atque ad hanc ceterarum Artium ſubſidia referat: dominetur una; famulentur ceteræ: patebit inde, quam falſum ſit illud Heracliti: *Πολυμάθιν νοὸν ὐ διδάσκει*· Et quam contra vero conſonet celebre illud Ariſtotelis effatum lib. 1. Anal. Poſter. *Ἐπικοινωνοῦσι πᾶσαι αἱ ἐπιστήμαι ἀλλήλαις*.
Itaque vel Sacram, vel Profanam Hiſtoriam; Scholaſticam, ſeu Eccleſiaſticam

Rhetoricam; Antiquariam, Criticam; Poeticam complexus fuerit; quidquid in ceterarum ambitu Scientiarum huc facit, præ ceteris & diſcendum eſt diligentius, & adnotandum. Neque hæc, cui te addixeris, Facultas generatim tantum perſequenda eſt; ſed opus aliquod deſignandum, quod perficias; in quod vitæ, temporiſque particulas omnes conjicias; pro quo ab ipſa juventute penum congeras; Adverſaria conficias; quid ea in re præſtiterint alii, advertas. Graviori ætate fruſtra magnum quid moliare: quanto te judicio confirmatum magis, tanto viribus, animiſque debiliorem ſenties, ac fortaſſe neque per negotia ad difficiles labores otium erit.

CCCLXXXIV.

In hujus porro operis delectu, maturo conſilio opus: conſulenda in primis ipſa Ingenii propenſio, nativo plerumque pondere in partem certam inclinantis; tum Vir, Literarii ſtadii vetus, & ingeniorum probus Æſtimator, in cujus denique judicio acquieſcendum. Conſtituta vero operis materia, utendum erit conſtantia, neque recedendum a propoſito, ſi vel meliora ſe in ſpeciem oggerant: mutando, alia ex aliis moliendo, nihil ad maturitatem perducitur; anni ſubinde, & ætas labitur.

CCCLXXXV.

CCCLXXXV.

Non inde aut Sacris curis, aut ſtudiis ſeverioribus detractum quidpiam, aut labore nimio te oppreſsum volo; verum, ut rejectitia alioquin tempuſcula utiliter colloces, hoc contendo. Nemo non libellum volvit; hæc, illa delibat; nemo ſeniorum, qui non librorum ab ſe lectorum catalogum bene longum recitare poſſit: ſed diſparata fere leguntur, & ſine delectu, & uti fortuito in manum irrepſerit liber. Ego a te peto, ut judicio legas; quæ legeris, ad finem unum; ad ejus, quam ſectaris; ejus, quod meditaris, operis perfectionem referas; neque ut plus aliis, ſed aliter labores: ambulant alii ſe oblectandi cauſſa; tu, præter oblectationem, metam aliquam, & utilitatem ſectare. Hujus moniti defectu quot capaciſſima ingenia, nullo in literariam rem fructu, ignobiliter, proh dolor! extinguuntur.

CCCLXXXVI.

Norunt experti, quantæ opes, provido hoc, parvoque tempuſculorum uſu, parari poſſint. Tentando Trojam venere Græci: tentantibus, ac pedetentim progredientibus opinione facilior obvenit Sapientia. Spondere auſim, etiam ab mediocri ingenio, iſtoc aſſiduitatis artificio, magna confieri poſse, ac illuſtria: animus namque in rem unam intentus, famæ inſuper ſpe, & ipſa laboris dignitate inca-

leſcens, uſque fertur incitatius, itaque defigitur, ut honeſta ipſa, & Eccleſiaſticæ etiam vitæ oblectamenta deſipiant. Ergo & Doctrina, & Religio junctis dextris ſibi, quod ſorores ſolent, operam accommodabunt.

CCCLXXXVII.

Hoc porro, quale delineavimus, Veræ Eruditionis ſtudium animos ſibi magnos, nobiles, audentes depoſcit; qui nihil humile animo deſignent; ſed moliri aliquid ad poſteritatis memoriam, & Eccleſiaſtici Ordinis noſtri famam inſigne. Cenſeant ſe quoque homines eſse: quoties magnorum Virorum opera obeunt, reputent ſecum; num æquari ab ſe laudes eorum, ac ſimile quid perfici poſse exiſtiment, ſi animus, & opportunitas foret. Eſt hoc honeſtæ gloriæ ſtudium, haud ſecus ac cibi appetentia, a Deo inſitum; ſine quo nemo grandius quid cœpit, aut abſolvit; ſine quo ægre abs te obtineas, ut ne alienæ deſidiæ veluti contagio afflatus ab generoſis conſiliis deſciſcas. Eſt idem, modo in Deum deſinat, & laudabile, & ſuapte natura honeſtiſſimum.

CCCLXXXVIII.

Ut externa quoque ſtudiorum tuorum præſidia, Patronos, Mæcenates accerſas; quorum opibus, ac auctoritate deſtinata tua tuearis, duo obſervanda. Alterum ut quidquid publice voce, vel ſcri-

pro vulgandum, leve quantumlibet, & conſuetum, ita elabores, velut in celeberrima doctiſſimorum hominum, aut Principum Virorum Panegyri, coram ſapientiſſimis arbitris, recitaturus eſſes; quod idem de privatis in Gymnaſio exercitationibus intelligas velim. Cura hac neceſſariam ſtudiis tuis famam paries, & æſtimationem; cujus ardua eſt cuſtodia. Si per temporis anguſtias expolire quidpiam nequeas, aut nolis; cave, ne tuo nomine lucem videat.

CCCLXXXIX.

Alterum eſt, ut, emiſſo in lucem parvo, ſed egregie elaborato, opuſculo expectationem aliquam moveas: certe, ut rerum omnium, ſic famæ tenuia ſunt principia. Velitandum ante, quam aperto Marte confligas, & parvo in flumine exercenda phaſelus, dum in altum procurras. Celeberrimi Viri humili in argumento magnis deſtinatis præluſere: nempe ſuſpicionem audacia movet, nec fidem ceperit, qui repente proſiliat; contra qui in parvo excellat, majoribus par reputatur.

CCCXC.

Duo quæpiam ad extremum mihi admonendus es. Primum ut, quaqua in Facultate animum exercueris, Claſſicos illos Veteres, omnis Sapientiæ Magiſtros, ſingulari ſtudio pervolutes. E Recentio-

ri-

ribus illi inclaruere maxime, qui ad illos acceſſere proxime, non acceſſuri, niſi in illis egregie verſati ſolidæ Eruditionis hoc fundamentum jeciſſent. Qui in Recentioribus hærent, hallucinantur denique, ſeroque errorem deplorant: e Veteribus illis, præter Artis apicem, rerum quoque notitia venit. Qui Homerum, Tragicoſque Veteres percurrerit, nihil fere in omni Mythologia ignorare poteſt.

CCCXCI.

Ceterum qua ratione Claſſici Neotericis, eadem Græci ante Latinos legendi ſunt: quare, ni Græcanici ſermonis peritia aliqua polleas, dicere auſim, inter Eruditorum ſubſellia locum abs te nullum umquam obtinendum. Verſa quidem ſunt in Latinam linguam Græcorum Opera prope omnia; at, boni Superi! quanta inter Auctores, ac Interpretes, quam ingens ſæpe diverſitas! Utut curioſiſſimi fuerint iſti, ut illorum ſuccum, ac ſpiritum non deperderent, ſermonis tamen genus variatum conatus magna ex parte, ac ſolicitudinem deluſit. Cuivis linguæ propria ſunt loquendi genera, propriæ ſententiæ: immuta paullulum, & faciem aliam, coloremque cum ſermone res ipſa habitura eſt: jacet tamen hoc ſtudium apud pleroſque, & tranſlatæ Orationis fiducia freti puriſſimos il-

los fontes negligunt; etſi acceſſus illuc pateat, & non ſic, atque vulgo putatur, difficilis.

CCCXCII.

Secundum, in hac tanta contentione *Animum liberum, Corpus firmum* ſervare ſtudeas. Libero eris animo, & tranquillo, ſi rei domeſticæ curas, quæ florem temporis fere eripiunt, abs te relegatas in fidum aliquem tranſtuleris; nec animi relaxationibus neſcio quibus aſſueveris: mentis nubes, amica, erudita confabulatione, diſſipantur. Corpus firmum ut retineas, cave, ne labore nimio vires impares oneres; præſertim a prandio, & cœna ne cui mox meditationi vaces; aut de ſomni dimenſo quid detrahas. Utere viciſſim commotione crebriore; per quam & nervi exercitatione firmantur, & ſpiſſior ſanguis diluitur, & collecta pituita ſudore digeritur. Obſerva, quodnam morbi genus tibi præ ceteris metuendum, & initiis obſta. Graviore ætate familiare medicamentum, & facile per certa intervalla adhibe; ſed citra anxietatem, & ſuperſtitionem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

Librorum, Capitum, Paragraphorum.

PROLEGOMENON.

Scientiarum Diviſio, & Finis.

LIBER PRIMUS.

De Puritate, Elegantia, Copia Latini Sermonis.

CAP. I. *De Latinitate univerſim.* p. 1.

CAP. II. *De tribus Latinæ Elocutionis proprietatibus; ac primum de Puritate.* p. 4.

CAP. III. *De Elegantia, & primum de Elegantia Verborum.* p. 14.

CAP. IV. *De Elegantia Sententiarum.* p. 18.

CAP. V. *De Elegantia Collocationis.* p. 22.

CAP. VI. *De Elegantia Numeri.* p. 24.

CAP. VII. *De Elegantia Nexus.* p. 28.

CAP. VIII. *De Copia Verborum, & Sententiarum.* p. 30.

LIBER SECUNDUS.

De Re Poetica.

CAP. I. *De Natura, & Proprietatibus Poeticæ.* p. 37.

CAP. II.

CAP. II. *De Poeta dotibus.* p.40.
CAP. III. *De Elocutione Poetica.* p.46.
CAP. IV. *De Poeſi Drammatica, & primum de Drammatis Inventione.* p.50.
CAP. V. *De Diſpoſitione Drammatis.* p.57.
CAP. VI. *De Elocutione Drammatica.* p.61.
CAP. VII. *De Prologo, Choris, Epilogo.* p.62.
CAP. VIII. *De Declamationibus, ſeu Academiis.* p.65.

LIBER TERTIUS.

De Re Rhetorica.

CAP. I. *De Oratione Univerſim.*
§. I. *De Inventione.* p.71.
§. II. *De Amplificatione.* p.74.
§. III. *De Affectibus.* p.77.
§. IV. *De Diſpoſitione.* p.79.
CAP. II. *De Partibus Orationis.*
§. I. *De Exordio.* p.81.
§. II. *De Propoſitione.* p.83.
§. III. *De Confirmatione.* p.84.
§. IV. *De Confutatione.* p.86.
§. V. *De Peroratione.* p.87.
CAP. III. *De Stilo, & Elocutione.*
§. I. *De Stilo.* p.88.
§. II. *De Elocutione.* p.92.
CAP. IV. *De Oratione in Genere Demonſtrativo.*
§. I. *De Inventione.* p.93.
§. II. *De Amplificatione.* p.97.

§. III. *De Diſpoſitione.* p.99.
§. IV. *De Elocutione.* p.99.
CAP. V. *De Stilo Sublimi, Venuſto, Delicato, uti & de Acuti Fontibus.* p.102.
CAP. VI. *De Oratione Sacra.*
§. I. *De Inventione Thematis.* p.107.
§. II. *De Inventione Argumentorum.* p.110.
§. III. *De Amplificatione.* p.115.
§. IV. *De Affectibus.* p.124.
§. V. *De Diſpoſitione.* p.125.
§. VI. *De Exordio.* p.127.
§. VII. *De Confirmatione.* p.127.
§. VIII. *De Elocutione.* p.128.
CAP. VII. *De Oratione Sacra Panegyrica.* p.130.

LIBER QUARTUS.

De Hiſtoria Scribenda, & Diſcenda.

CAP. I. *DE Hiſtoria Scribenda.* p.133.
CAP. II. *De Hiſtoria Diſcenda.* p.140.

LIBER QUINTUS.

CAPUT UNICUM.

DE Vera, Variaque Eruditione Comparanda. p.146.

FINIS DEUS.